

I SERVI DI MARIA AL CONCILIO VATICANO II

III

PERIODO CONCILIARE (2)

INTERVENTI SUL “DE BEATA” E SUL “CAPITOLO VIII”

PREMESSA**GLI INTERVENTI DEI SERVI DI MARIA
SUL “DE BEATA”
E SUL CAP. VIII DELLA LUMEN GENTIUM**

1. Poiché la dottrina e il culto della Beata Vergine Maria è parte centrale della spiritualità dei Servi di Maria, ed è oggetto primario dell’insegnamento nella Facoltà Teologica «Marianum» di Roma, riservo alle proposte e agli interventi in Concilio dei Servi di Maria sull’argomento una trattazione a parte, come pure una documentazione a parte.
2. Ricordo innanzitutto che diedi di questo tema ampia esposizione in un lungo articolo apparso sulla rivista “Marianum” dell’anno 1995: *Contributo dei Servi di Maria al capitolo VIII della Lumen gentium*, in *Marianum* 57 (1995) p. 17-238. Ad esso rimando per più dettagliate informazioni.
3. Scopo del presente lavoro è soprattutto quello di fornire tutta la documentazione “ufficiale”, accolta quindi dalla Segreteria del Concilio Vaticano II e pubblicata nell’edizione vaticana.
4. Vorrei tuttavia previamente ricordare che se i Servi di Maria, in questo campo, furono totalmente esclusi dalle rispettive Commissioni Pontificie, non furono però assenti da ispirare addirittura lo schema-base della *costituzione dogmatica sulla Beata Vergine Maria Madre di Dio e degli uomini*, e come impostazione strutturale del capitolo VIII della *Lumen gentium*, sulla *Beata Maria Vergine Madre di Dio nel mistero di Cristo e della Chiesa*.
Infatti, lo schema di costituzione «*De Beata Maria Virgine eiusque cultu*» preparato dalla Facoltà Teologica «Marianum»

e consegnato alla Segreteria del Concilio (edito integralmente in *Acta et Documenta Concilio Vaticano II apparando. Series I. Vol. IV/1.2*, p. 450-470, fu tenuto come testo-base dal redattore incaricato di preparare il primo schema *De Beata*, p. Carlo Balić dell’Ateneo Antonianum di Roma.

Rinvio a quanto ho già esposto nella Fase Antepreparatoria del Concilio

7. Infatti, ho lungamente mostrato, nell’articolo apparso sulla rivista *Marianum* del 1995, la dipendenza di struttura, di contenuto e anche di termini del 1° schema *De Beata* redatto da p. Balić dal nostro “schema di costituzione” sulla B. V. Maria e il suo culto. La struttura bipartita: dottrina e culto, rimase costante nella elaborazione del documento conciliare sulla B. Vergine Maria, dal primo abbozzo *De Beata* alla definitiva promulgazione della *Lumen gentium*, incluso il capitolo VIII.

8. Comunque siano andate le cose, i Servi di Maria compaiono attivi sullo schema mariano solo dopo che fu distribuito in aula ai Padri lo schema “*De Beata*”

Ora lo schema della Costituzione *De Beata* fu distribuito ai Padri in aula conciliare il 23 novembre 1962 in un unico fascicolo, unito allo schema *De Ecclesia*, con numerazione progressiva. Portava il titolo: *constitutio dogmatica De Beata Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum*. Copriva le pagine 91-122 del fascicolo: il testo, con righe numerate pagina per pagina, iniziava a p. 93 e finiva a p. 98. Nelle pagine 99-101 figuravano i *Praenotanda*, e a continuazione (p.101-122) le *Notae*.

10. Il medesimo testo, tuttavia, per decisione di papa Giovanni XXIII, nel mese di maggio 1963 venne nuovamente inviato a tutti i Padri conciliari, in un fascicolo di 36 pagine disgiunto dal testo *De Ecclesia*, con nuova numerazione autonoma (ac-

canto, tra parentesi quadre, era posta l’antica), e con nuovo titolo: *De Beata Maria Virgine Matre Ecclesiae*.

11. È questo il testo sul quale, proprio all’inizio del secondo Periodo del Concilio, si iniziò a discutere: discussione subito interrotta, per la votazione del 29 ottobre 1963, che volle incluso il *De Beata* nello schema *De Ecclesia*, come ultimo capitolo.
- 12 Dei Servi di Maria ebbero la parola in aula o trasmisero le osservazioni per iscritto sul primo schema *De Beata*: Mons. Giacomo M. Grotti (*Acta Synodalia*, II, iii, p. 720-734 [osservazioni riprese nelle *Observationes generales* della Commissione Dottrinale: *Acta Synodalia*, II, iii, p. 300-328]); e Mons. Attilio Costantino M. Barneschi (*Acta Synodalia*, II, iii, p. 690-692).

I. – DOCUMENTAZIONE SUL “DE BEATA”

1

MONS. COSTANTINO ATTILIO M. BARNESCHI
(*Acta Synodalia*, II, iii, p. 690-692:
animadversiones De B. Maria Virgine)

11

Exc.mus P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI
Episcopus Manziniensis

Cum vota permulta ad commissionem antepreparatoriam Concilio Vaticano apparando pervenerint, quibus postulatum est ut in hoc Concilio oecumenico sermo fieret de B. Virgine, cumque hoc potissimum ar-

gumentum magni sit momenti ad quasdam difficultates solvendas pro totius Ecclesiae unitate, nihil praetermittendum nobis est, quod sive in parvis sive in maximis quaestionibus claritati faveat.

Quaedam ergo animadvertenda videntur: 1) sive de iis, quae fortasse adiungenda essent; 2) sive de quibus in schemate constitutionis profertur.

1. *De quibusdam adiungendis schemati constitutionis.* Tria prae-
sertim, venerabiles Fratres, videntur accuratius illustranda in constitu-
tione de B. Virgine, quae scil. ad cultum erga Deiparam pertinent; quae
de Maria Sanctissima fautrice unitatis christiana dicuntur ac demum
quaedam adiungenda de momento pietatis erga Dei Matrem in opere
evangelizationis.

De cultu erga B. Virginem. Non videntur sufficere verba «singularis excellentia» (ad n. 5, lin. 2) ad recolenda fundamenta cultus erga Deiparam; imprimis quia vox «excellentia», ex se sola, iuridica potius quam theologica videtur; deinde quia *excellentia singularis* B. Mariae Virginis est potius effectus quam radix ultima dignitatis Deiparae, ac fortasse re-
colenda sunt sive arcta necessitudo inter Christum et Mariam sive ae-
terna in ea Dei praedestinatio. Insuper, prae oculis habita antiquitate
cultus mariani atque illius potissima extensione in orbe catholico, quae-
dam fortasse dicenda essent de fundamentis, ut ita dicam, historicis istius
cultus necnon de munere devotionis erga beatam Virginem pro christia-
nae vitae augmento.

De B. Virgine fautrice unitatis christiana. Qui prae-
sertim ob munus apostolicum, continuo cum illis «qui se fuisse a Christo redemptos igno-
rant» ac cum illis «qui christiano nomine gloriantur» quamdam consue-
tudinem habent, quam maxime compotes sunt de necessitate caritatis
simul ac *veritatis*. Quamobrem, cum sollicitudo profertur in augendis
instrumentis, quae ad unitatem inter christianos conferre possint, ne
praetermittatur omnis cura in docendo quod aperte atque sincere profi-
tenda est integra doctrina catholica de B. Virgine. Saepe saepius enim,
ob oecumenicas uti dicitur rationes, scripta prae-
sertim vulgantur, quae
pudorem quemdam proferunt in defensione veritatis atque non raro pie-
tatem erga Deiparam quodammodo spernunt. Huiusmodi scriptorum in-
dolem ipsi fratres nostri separati minoris faciunt, cum «B. Virgo – ut

scribit S. Bernardus – nostro non egeat mendacio». Fortasse igitur etiam verba schematis constitutionis, quae asserunt «veram devotionem in quodam unius momenti affectu *minime* consistere» (ad n. 5, linn. 35-36) possunt simul linum fumigantem extinguere ac minimistas, quos appellant, incitare, cum e contra aliquando affectus erga Virginem, quem christifideles adhuc parvuli didicerunt, extremus extinguitur et quam saepissime renovationem vitae adauget.

De momento pietatis erga Dei Matrem in opere evangelizationis. Cur nihil habetur in schemate constitutionis de momento atque munere sive scientiae marianaee sive pietatis erga Dei Matrem in evangelizandis praesertim parvulis, rudibus, lugentibus, infirmis, omnibusque quorum imprimis interest aliquam maternam manum invenire, quos ad limina fidei, spei et caritatis ducat? Quam saepe enim memoria vel recordatio Virginis Matris, absentes disponit, negantes commovet, dubitantes adauget! Nonne in cenaculo, in die Pentecostes, Mater Domini erat cum discipulis, ut eorum fidem sustineret? Cur, praecipue decursu praesentis saeculi, B. Virgo variis multisque modis misericordiam ac praesentiam suam tam sedulo manifestavit, nisi ad momentum suaee intercessionis significandum? Experientia quoque comprobatur quod cultus erga Dei Matrem faciliorem aliquando reddit transitum a religionibus praesertim naturalibus ac rudibus ad veram Christi doctrinam, cum imago atque privilegia Virginis Mariae citius ac facilius intelligantur, sicque via patetur ad integrum evangelizationem.

2. *Animadversiones super quaedam quae in schemate constitutionis leguntur.*

Imprimis de titulo ipsius constitutionis, qui cum sonet *De B. Maria Virgine Matre Ecclesiae*, fere revera illum constitutio obliviscitur decursu totius expositionis, in qua una tantum invenimus titulum *Mater Ecclesiae* (ad n. 1, lin. 22), cum e contra saepius perlegantur verba: *Mater Dei, Dei hominumque Mater*: quae verba aptius videntur illustrare indolem constitutionis (cf. n. 1, linn. 17, 18, 27; n. 2, linn. 16, 23, 29; n. 3, linn. 35, 39; in subsequenti pagina, n. 4, lin. 36; n. 5, linn. 20, 23; n. 6, lin. 21).

Minime *deinde* placent verba, quae legimus ad n. 1, ad lin. 14: «quae

in sacris fontibus *obscure* et veluti *implicite* latent». Vox *implicite* sat obscura est ac fere inusitata in magisterii ecclesiastici documentis, et vox *obscure* multa implicite innuere videtur, imaginationi potius quam claritati faventia!

Supprimatur phrasis: «ad ea plene percipienda clareque intelligenda quae in sacris fontibus obscure et veluti implicite latent», cum sufficient verba subsequentia (ad n. 1, ad linn. 24-25): «superioribus documentis inhaerens magisterii vivi Ecclesiae, unici authentici interpretis depositi revelati».

3. Non apta videntur verba quae legimus, ad n. 2, ad linn. 10-11: «a tempore virginalis conceptionis Iesu Christi usque ad eius mortem perseveravit». Nonne, uti patet ex subsequentibus linn. 16-18, B. Virgo usque ad consummationem sacramenti humanae redemptionis cooperata est?

4. Obscurum atque inopportunum videtur verbum «quemdam», quod voci «primatum» coniungitur (ad n. 2, lin. 30). Cum antea B. Virgo appelletur «non modo supereminens prorsusque singulare membrum Ecclesiae»(ad n. 1, linn. 20-21) necnon «exemplar» ac «Mater Ecclesiae», dicat aperte constitutio B. Virginem primatum sic et simpliciter obtinere, quamvis sub Christo et cum eo.

5. Videtur constitutio neque dicere neque tacere quod titulum *corredemptionis* pertinet; quodsi titulus *mediatrix*, praehabitis condicibus quas constitutio profert, minime officit uni Christi mediationi, non intelligitur cur aut pro aut contra doctrinam de corredemptione nihil aperte dicatur, immo accurate vitetur ipsa vox *corredemptrix*, quamvis quaedam praesupposita huiusmodi tituli in ipsa constitutione doceantur.

6. Non satis meditata videntur verba: «secundum antiquam et venerabilem traditionem mortem subiit temporalem» (ad n. 4, linn. 21-22): num comparatio instruitur inter traditionem de assumptione corporea B. Mariae Virginis et traditionem de illius morte? Cur ergo ad mentionem faciendam de privilegio assumptionis non adhibentur tantummodo verba definitionis constitutionis apostolicae Munificentissimus Deus?

Neminem nostrum pudeat laudes B. Virginis celebrare, neminem pigeat fontes iterum atque iterum compulsare, ut thesauri depositi revelati

in dies in lucem proferantur; in communi enim et antiquissima necnon integra Ecclesiae traditione, cuius Liturgia uberrima praebet testimonia, cuncti qui christiano nomine gloriantur poterunt, Dei auxilio ac B. Virginis Matris nostrae intercessione, unitatem invenire, pro qua Christus in Cruce moriturus oravit.

2

MONS. GIOCONDO M. GROTTI
*(Acta Synodalia, II, iii, p. 720-734:
 animadversiones De B. Maria Virgine)*

39

Rev.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

1. [De arcta necessitudine inter Christum et Mariam iuxta Dei beneplacitum].

Pag. 7, lin. 5. «Ab aeterno uno eodemque decreto»: quatuor haec similia ablativa fortasse, elegantiae causa, essent separanda. Unde ita legi posset: «ab aeterno cum divinae Sapientiae incarnatione uno eodemque decreto beatissimam Virginem praestituit». Vel, eadem de causa, de promptis verbis ex Pio XII, *Munificentissimus Deus*, in nota 1 citatis, ita textus aptari posset: «ab omni aeternitate, uno eodemque decreto, cum divinae Sapientiae incarnatione beatissimam Virginem praestituit». Loco vocis «praestituit», quae fortasse non omnibus placet, poni posset vox «praeordinavit» (cf. in nota 1, Leonem XIII, *Augustissimae Virginis*), vel «elegit» (cf. Pium IX, *Ineffabilis Deus*, in initio). Vel posset etiam simplicius ita scribi, ad vitandam quoque similium vocum adhibitionem (libertate-liberatio; sapientissimus-sapientiae; omnium-omnimoda): «Immensae bonitatis Creator omnium sapientissimus Deus, qui plena fruebatur libertate in determinanda ratione qua generis humani restauratio (vel: redemptio) a se perageretur, ab omni aeternitate uno eodemque decreto statuit ut Verbum, ad cunctarum gentium salutem, ex B.

Virgine, de Spiritu Sancto (vel: Spiritu Sancto foecundata), in temporis plenitudine (cf. Gal. 4, 4), carnem assumeret».

Lin. 8. «Sive diserte sive implicite»: vox «*implicite*» fere numquam in magisterii ecclesiastici documentis adhibetur. Fortasse tantum semel, certe autem perraro, scil. in Pio XII, *Humani generis* (Denz. 2314) ubi et dicitur «*implicite*» et «*veluti implicite*». Et revera haec vox nimis scholam sapit et falsae imaginationi favet quod dogmatis progressus sit nonnisi naturalis, philosophicus, logicus labor quo theologi speculativi mens conclusiones, in principiis contentas, eruit ex iisdem.

Nec obliviscendum est quanta cura Summi Pontifices Pius IX in *Ineffabilis Deus* et Pius XII in *Munificentissimus Deus* hanc praedictam vocem, de qua certe, id expostulante ipsa quae tractabatur materia, cogitarunt, vel praetermisserint vel omnino vitaverint, dogmatis progressum Spiritui Sancto, in Ecclesiam diffuso et operante, potissime tribuentes.

Cum autem haec eadem progressus dogmatici notio, iure hic quoque advertatur (cf. linn. 12-16), congruum videtur classicum loquendi modum hic quoque servari debere; ideoque propositionem emendandam esse, eo vel magis quod in ea bis vox «*implicite*» recurrit, et bis particula «*veluti*» ac bis vox «*mysterium*»: quae omnia innuunt propositionem nondum satis lima perpolitam fuisse.

Insuper vox «*obscure*» non admodum placet. Forsitan ergo, depromptis verbis ex duabus praedictis Pontificum documentis, ita posset propositio ad simpliciorem, at simul accuratam, formam adduci: «Cum autem Sacrae Litterae (et perantiqua atque universalis sacra traditio?), multiplice continenter ratione, Matrem cum humanae stirpis Salvatorem, arctissimo et indissolubili vinculo coniunctam, inde a praeanuntiatione (cf. Gen. 3, 15; Is. 7, 10; Mt. 1, 23) ac virginali conceptione (cf. Mt. 1, 18-25 et Le. 1, 26-38), exhibeant, plane congruit ut Ecclesia – quae Christi sponsa exstat Eiusque proinde Spiritu ad revelatarum perficiendam veritatum cognitionem [seu: ad revelatarum veritatum, in Sacris Fontibus contentarum, perficiendam cognitionem] infallibiliter dirigitur (cf. Mt. 16, 18; 28, 18-20; Io. 14, 16. 26; 15, 20) –, divini dum redemptoris arcana in dies illustrat, eiusdem quoque Genitricis mysterium clariorem iugiter in lucem proferat».

Qua emendatione forte recepta, textus duabus adhuc notulis ornati deberet, una quidem ad indicandum verba «multiplice continenter ra-

tione» esse Pii IX in *Ineffabilis Deus*, altera autem ad recolendum verba «quae Christi sponsa ... Spiritu ... infallibiliter dirigitur» esse Pii XII in *Munificentissimus Deus*, fere ad litteram.

Linn. 19-20. Verba S. Augustini: «cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur», non necessario innuunt Mariam esse Ecclesiae *matrem*. Si ergo hoc patet *ex contextu*, congruum videtur ut in notula 2 addatur, praesertim ob eiusdem Doctoris verba quae in nota 3 referuntur, quaeque, prout extra contextum sonant, Mariam esse Ecclesiae *matrem* excludere possent.

Linn. 24-25. Fortasse, elegantiae causa, et ad quinque genitivorum seriem vitandam, ita sequens propositionis pars aptari posset: «... superioribus vivi Ecclesiae magisterii documentis inhaerens, quod unicus depositi revelati exstat interpres authenticus».

2. [De munere b. Virginis Mariae in oeconomia salutis].

Pag. 7, lin. 32 ad pag. 8, lin. 5. Propositio haec est aliquatenus difficilis et dura, conceptu, latinitate aut saltem verborum ordine.

Ut clarior evadat, imprimis congruum est ut, iuxta morem classicum, omnia ad ipsum Patrem referantur et non ad eiusdem Verbum. Mos iste ideo autem classicus est, quia et biblicus et liturgicus: antiquitus enim patris erat nuptias facere filiis.

Quo more retento, ac duritie latinitatis semota, ita posset praedicta propositio emendari: «Cum igitur aeternus Pater Verbum suum humanam decreverit ex muliere naturam assumere ut, quemadmodum per foeminam mors, ita et vita nobis oriaretur per foeminam, sicque sexus utriusque ope liberatio haberetur, non id ante perfecit quam designatae matris, ex bonitate paterna et praevisione Christi sui meritis sublimiori modo redemptae, liber consensus accessisset; qua acceptatione prolata, Unigenitus Dei, ex Maria de Spiritu Sancto carne suscepta, intemeratae quoque fieret Virginis Filius, novus Adam ac mundi Salvator».

Si autem, hac nonobstante emendatione proposita textus prout nunc est typis impressus vellet servari, certe tamen latinitas esset expolienda, ut omnis removeatur durities et obscuritas.

Sic, e. g., male sonant verba simul posita: «acceptatio accesserint»; si subiectum manet «*Verbum*», dici non potest postea «*Christi*» sed: «sui

ipsius carnem facti» vel quid simile; pariter contorta fit propositio adhitione repetita particulae «ut»; novissima tandem propositionis pars est satis obscura, et saltem postulat ut vox «incarnatione» inter virgulas collocetur, sicque legatur: «ut Filius Dei, incarnatione, eius (Mariae, certe, licet non sit perspicuum) quoque Filius ac novus Adam Salvatorque (!) mundi fieret».

Rogo autem humiliter ut *integra* emendatio, supra proposita, accurate perpendatur.

Pag. 8, linn. 5-8. Constitutio laboriose videtur incedere, nimis saepe propositionibus separatis interrupta. Fortasse ergo congrueret ut praesens propositio praecedenti (reformatae) iungeretur, ac latinitas expoliretur: etenim voces «redemptor» et similes sexies, modicissimo interiecto intervallo, occurunt.

Insuper, perpendendum est an immaculata Virgo Maria, ab aeterno ad tantam ac multiformem celsitudinem praeordinata, sine ullo addito «filia Adae», absque lugendae confusionis periculo, vocari possit. Si enim est simpliciter filia Adae, quomodo, ut mox dicetur in constitutione, «primatum» obtinet? Quo sensu, etiam a Pontificibus, primogenita vocatur ante omnem (etiam Adam!) creaturam? Quamodo, ergo, sine addito, filia Adae est?

Si ergo, factis emendationibus quae videntur congruere, propositio haec renovata praecedenti emendatae iungeretur, textus qui sequitur haberetur: «... qua acceptatione prolata, Unigenitus Dei, ex Maria de Spiritu Sancto carne suscepta, intemeratae quoque fieret Virginis Filius, novus Adam ac mundi Salvator; ipsa autem Maria, privilegiata Adae filia, non tantummodo Iesu Mater evaderet, unici divini Mediatoris ac Redemptoris, verum, adeo cum eo at sub eo operam suam in peragenda humani generis restauratione sociaret, ut universitatem gentium, cum Christo at sub Christo redemisse et correde misse dicatur, atque haud semel, ab ipsis Romanis Pontificibus multisque aliis Episcopis Corredemptricis titulo meruerit ornari».

Lin. 8-16. Textus non indiget nisi levi quadam perpolitione ac tribus forte additionibus: una quidem ad adumbrate saltem dicendum Filiali holocausto Mariam certe maternam adiunxisse oblationem: alia autem ne os obturetur dicentibus Mariam non usque ad Christi mortem tantum, sed ad consummationem usque sacramenti reconciliationis humanae (cf.

infra linn. 16-18!) cooperatam fuisse redemptioni (ideoque, e. g. et sua «Desolatione» inter Filii obitum ac resurrectionem); tertia tandem ne sequatur, inde tantum a Dominici testamenti promulgatione, Deiparam Virginem omnium hominum evasisse matrem.

Ideoque textus sic posset emendati ac proponi: «Huiusmodi autem Dei Genitricis salutaris consensus, unde et eius in reconciliationis opere perficiendo consortium, a virginalis Iesu Christi conceptionis tempore ad sacramenti humanae reparationis consummationem usque permansit, tunc vero excellenter enituit cum, non absque divino consilio, iuxta crucem stetit (cf. Io. 19, 25); Unigenito suo ex imis condoluit visceribus; benedictum ventris sui Fructum [vel: Nati sui holocaustum], ut nostrae redēptionis prætium, cui materni cordis gladio transfixit ultra hostiam adiunxit [vel adiecit], cum Ipso et per Ipsum aeterno obtulit Patri; ac demum cum ab eiusdem morientis Domini caritate, sollemne e patibulo testamentum veluti promulgantis, non discipulum Ioannem tantum at, in eius persona, universos homines, sibi commendatos, ut spiritualis mater, suscepit in filios (cf. Io. 19, 26-27)».

Linn. 16-21. Textus quadam indiget expolitione ac, praesertim, una emendatione, ne sententia excludatur eorum qui, fortasse non erronee, reparationis humanae opus tunc tantum consummationem assecuturum sentiunt cum, animabus ad plenum purgatis corporibusque e pulvere suscitatis, aeterno Christus regnum offeret Patri (cf. 1 Cor. 15, 28).

Textus emendatus sic ergo sonaret: «Quoniam vero humanae redēptionis mysterium *terrestrem* non ante attigit *verticem*, quam promissus a Christo Spiritus Sanctus die Pentecostes advenit [vel: defluxit]. Mariam in caenaculo una cum apostolis in oratione perseverantem spectamus [vel: legimus] Paracliti effusionem suis quoque precibus enixe implorantem».

Linn. 22-26. Rectus oecumenismus, rebus bene perpensis, postulat ut doctrina nonnisi vere catholica, id est revelata aut certe toti Ecclesiae communis aut saltem *tutissima* præbeatur, at *integra*; ut qui ad Romanam Sedem accedere vel redire cupiunt seu volunt, quid ibi amplecti necesse sit sciant, sicque unitas non effimera, prouti haud semel accidit, sed stabilis oriatur et fiat. Ambiguitates ergo aut compromissus, si unquam placuerunt, hodie, ac praesertim iunioribus, certe nullimode placent. Vitanda proinde illa videtur methodus, iuxta quam res et dicuntur

simul et non dicuntur. Si ergo supra dictum est beatam Mariam, non tantum ut Christi matrem sed etiam eiusdem sociam (= novam Eram), sub eo at cum eo *redemptionis operi cooperatam fuisse*, cur postea subticetur almam Virginem, sub at cum Christo, humanam familiam *redemisse*, seu corredemisse, ipsis Summis Pontificibus id fatentibus, a quibus et *Corredemptricis* titulo haud semel fuit ornata? Nam fratres, qui ad Petri Cathedram accedere aut redire cupierint, visis auditisque principiis nostris ac Pontificum documentis, an id sentiamus, et an admittendum sit, a nobis dubio procul expostulabunt. Dicatur ergo, maxima licet cum claritate ac prudentia.

Textus, ergo, his praemissis, sic posset emendati ac proponi: «Cum itaque b. Virgo, ab aeterno tamquam Dei hominumque mater praedestinata [vel: praeordinata], divina Providentia misericorditer disponente, Domini Iesu hisce in terris, in gratia pro Adae genitis acquirenda, generosa exstiterit socia [si antea non fuit additum, addatur: adeo ut gentium universitatem cum Christo et sub Christo redemisse seu corredemisse passim dicatur, atque Corredemptricis titulo haud semel a Pontificibus Summis decorari meruerit], hinc mirum non est si pervetustae cunctorum rituum sacrae Liturgiae, christianus populus, ipsique Successores Apostoli Petri, eam veluti supernae gratiae omniumque caelestium beneficiorum administram ac dispensatricem incessabili voce proclament».

Linn. 27-32. Textus tantum leviter emendandus videtur, et quidem imprimis ut, cum Pontificibus Romanis, sanctam Mariam primatum, et non «quemdam» primatum, super omnes sed et super omnia, certe sub Christo at cum eo, clare habere dicatur; tandem ut auferatur ea quae de «peripheria» asseruntur utpote in tam solemni documento prorsus incongrua.

Textus ergo ita posset renovari ac proponi: «Hinc sequitur Mariam, quae in condendo mystico Christi Corpore tantam habuit partem, et in caelum assumpta ac Regina a Domino constituta, maternum erga cunctos animum gerit, post Filium suum super omnes et omnia obtainere primatum; ac proinde, sub Christo at cum eo, in ipsomet Ecclesiae, ideoque et universi, centro collocati».

3. [De titulis quibus consociatio B. V. Mariae cum Christo in oeconomia nostrae salutis exprimi solet].

Pag. 8, lin. 34 ad pag. 9, lin. 2. Melius est ut clare pateat et asseratur, Mariam cum Iesu, ad redemptionis opus peragendum, cooperatam fuisse et quia Mater et quia veluti nova Heva; insuper praestat ut propositionis constructio fiat minus contorta ideoque planior, et eadem vitentur voces.

Textus ita ergo posset emendati: «Quoniam in Mariae cum Iesu, Matris scilicet cum Filio Salvatore ac novae veluti Hevae cum novo Adamo, ad humanae redemptionis opus peragendum cooperatione, tamquam solido fundamento, radice ac principio, multiplices variique nituntur tituli, quibus sacrum Magisterium, veneranda Traditio fideliumque pius sensus Beatissimam Virginem salutare consueverunt, ideo nefas est dicere eosdem titulos, in Ecclesiae sensu intellectos, vacuos inanesque esse, Sacris immo Litteris adversari».

Pag. 9, linn. 2-3. In capite huius n. 3, et etiam in prioribus novem eiusdem numeri lineis (cf. pag. 8, linn. 37 et 40), sermo est de «titulis» Virgini tributis ac tribuendis. At, non sine animi stupore, conspicitur nunquam dein de titulorum pluralitate disseti, sed de sola «*Mediatricis*» appellatione. Vel ergo verba, italicis characteribus impressa, emendantur quibus n. 3 inscribitur; vel alius saltem additur titulus: qua in solutione, nulla alia adiici posset appellatio nisi «*Corredemptricis*» titulus.

Et iure quidem, nam ex praeiactis principiis, de cooperatione scilicet Sanctae Mariae ad redemptionis opus, ut mater ac praesertim ut socia, *imprimis et directe* sequitur eam esse Corredemptricem: si enim est Redemptoris socia in redemptionis opere, erit ... Corredemptrix!

E contra, ex eo quod eadem Virgo fuit Redemptoris mater ac socia, non ita directe et imprimis sequitur eam esse «*omnium gratiarum* (etiam salutis physicae et promotionis ad gradus academicos) *Mediatricem*». Divus quoque Antonius Patavinus, testante communi populi fide ac praxi, fere omnium vel omnino omnium gratiarum est mediator: nihilo minus vel non fuit vel dici non solet corredemptrix. Ergo gratiarum mediatio universalis non necessario et directo ex Corredemptione, sed ex Dei gratuito beneplacito potest seu posset unice oriri. [Nisi dicatur, praeter Christi redemtionem et Mariae corredemtionem, etiam universalis Ecclesiae corredemtionem esse agnoscendam, cum et sub Christo et Maria; hoc sensu quatenus aeternaliter divinitus praevisa Ecclesiae universae merita, Christi et Mariae meritis coniuncta, atque ex illis effica-

citatem sumentia, cooperata sint redemptioni (et corredemptioni); sicut et nunc, in tempore, de facto, qui sunt merendi capaces, Christi et Mariae et universae Ecclesiae salvantur meritis, ac simul propria personali co-operatione, scilicet propriis cuiusque meritis ...].

Nec dicatur corredemptricis titulum, ob oecumenicas rationes, esse vitandum: nam si mediaticis titulus *apertis* non adversatur Pauli verbis (cf. 1 Tim., 2, 5), multo minus corredemptricis appellatio; nam novi Adami titulus, quem Christo satis aperte tribuit apostolus (Rom. 5; 1 Cor. 15) nullimode novae Hevae excludit appellationem, sed potius eam et *secumfert et advocat* ... !

Et, de facto, subapostolici aevi Patres, ut magni Iustinus et Irenaeus, apostoli Pauli proculdubio spiritu ac doctrinis imbuti, statim et manifeste B. Virginem novam Hevam appellare non sunt veriti, immo et compariationem seu parallelismum, sub recirculationis seu recapitulationis specie, inter Christum eiusque opus Mariamque instituere. Quae omnia, fortasse, antiquiora sunt ipsis mediaticis doctrina ac titulo: aut certe aeque et antiqua et solida.

Servata, ergo, n. 3 inscriptione, italicis characteribus impressa (*De titulis quibus* ...), revera de *duobus* saltem titulis erit hic agendum: nempe et de mediatrice, et de corredemptrice, obstantibus nullis testimoniis aut rationibus in contrarium.

Ideoque, praedictis linn. 2-3 (pag. 9), haec aut similia verba possent substitui: «Quos inter titulos, humani generis corredemptricis necnon gratiarum omnium mediaticis appellationes potissimum profecto obtinent locum».

Cui assertioni haec, vel similia, essent addenda: «Ad titulum corredemptricis quod attinet, qui Mariae competit redemptoris utpote matri atque sociae, fatendum est ipsum in novi Adae appellatione veluti imbibiri, quam Christo tribuit Paulus, ab eaque dubio procul exigi.

Quam exigentiam, ipsius subapostolici aevi Patres persenserunt Iustinus atque Irenaeus, aliique sancti Ecdesiae doctores, qui beati Pauli parallelismum complectentes, edixerunt humanum genus, veteris Adae veterisque Hevae inoboedientia perditum, novi Adae novaeque Hevae fuisse oboedientia salvatum.

Qui parallelismus, ipsis partim aperte partimque adumbrate fatentibus, nullimode aut imperfecte prorsus subsisteret si dum Heva perditioni

est cooperata qua Adami socia, Maria saluti cooperata tantum fuisset ut Salvatoris Mater, non vero ut redemptoris adiutrix: parallelismus enim utrumque non physica maternitate, sed voluntario nititur actu.

Haec autem doctrina, nunquam in Dei populo sancto, saeculorum decursu, intermissa, inde circiter ab anno millesimo, novo veluti radiavit fulgore, ac dein praesertim S. Bernardi ope, eorumque qui ipsius fideliter pressere vestigia. Cum vero eam ipsi nonnulli Romani Pontifices assumperunt, ampliorem eidem contulere splendorem, suaequae excelsae addiderunt auctoritatis pondus.

Contra quem corredemptricis titulum, nulla prorsus in contrarium sana militat ratio: corredemptricis praerogativa aut actio non enim redemptoris minuit seu obscurat opus vel meritum; sicut nec ministrorum sacerdotium sempiterno Christi officit muneri, eo quod huius illud derivatio sit atque adiutorium: non necessitatis quidem aut infirmitatis, sed dignitatis et convenientiae».

Pag. 9, lin. 2 - pag. 10, lin. 4. Post additionem eorum quae ad corredemptricis doctrinam ac titulum referuntur, et antequam legantur ea quae pag. 9, lin. 2 - pag. 10, lin. 4 iam in decreti schemate exstant, quaedam adiungenda seu inserenda videntur, introductionis seu fundamenti ad instar ipsius doctrinae ac tituli mediaticis: «Ad Mediaticis titulum vero quod spectat, qui praerogativam exprimit quae Mariae competit utpote Filii Dei humanique generis redemptoris Matri atque sociae, dicendum est ipsum in pene omnium temporum ac locorum Liturgiis fundari, quae ordinarii et universalis Ecclesiae magisterii sunt authenticus testis, sub ipsorum Romanae Sedis Pontificum suprema vigilancia positus; qui Christi vicarii, ceteroquin, plures post episcopos atque theologos, mediaticis doctrinam aperte, et quidem in magni etiam momenti documentis, suam fecerunt, ipsumque mediaticis titulum S. Virgini tribuerunt.

Et iure quidem, nam si S. Paulus apostolus, adhuc in terris positus, sine intermissione in orationibus memor erat fidelium, eorumque pro se precum subsidium instanter poscebat, expedit multo magis et iuvat ut S. Virginis Mariae, in caelis gloriose regnantis, intercessioni nosmetipsos fidenti commendemus animo.

Ipsa enim Deo Patri cuius est perfectissima filia, ipsius Unigenito Iesu Christo Domino nostro cuius Mater exstat ac socia, et Divino Spiritui quo fuit ac manet repleta, prae universis creaturis est absolutissime

iuncta; iisdemque de causis, supra omnes et amatur a Deo et Deum ex toto redamat corde.

Ex hac almae Virginis in Deum, cui tantopere nectitur, profundissima dilectione, intensissimus in universos homines, Patris genitos ac Filii sui fratres ac membra, Spiritu Sancto afflante, amor promanat. Ideoque, eiusdem Paracliti caritate succensa [acta], ad Christum gratiae effusionem beneficiorumque omne genus elargitionem impetratura incunctanter accedit; ac non tantum per eum, sed et cum eo et in eo, ad ipsum immensae maiestatis Patrem, a quo bona cuncta descendunt, fidenter procedit; ipsiusque Genitoris cui est dilectissima et a quo propterea est semper audita, per Iesum, at cum eo et in eo, cuius est amatissima Mater et socia cuique proinde prorsus nihil potest negari, Spiritus Sancti gratiae ac beneficiorum, vera excellentissima Ecclesiae universalis portio, administra incessabiliter fit ac distributrix.

Contra quam marialis mediationis doctrinam ipsumque, quoad caelestem gratiam supernaque beneficia, universalis mediaticis titulum, nulla pariter opponi potest revelata auctoritas aut valida ratio: verum est enim unum inter Deum et homines mediatorem, aiente Paulo (cf. 1 Tim. 2, 5) esse Dominum Iesum; sed, ex alio capite, impossibile est illum, qui est unus mediator, at simul Mariae amantissimus filius ac novus fidelissimus Adam, eam sibi incessabiliter indissolubiliterque non sociare in mediationis officio, sive de ipsa supernaturali regeneratione agatur, sive etiam de natorum, per gratiae iugem participationem beneficiorumque omne genus collationem, cura ac provectione; sicut pariter possibile non est Mariam, utpote Iesu Matrem ac sociam, suae strictissimae unionis vi suique ardentiissimi amoris impulsu, Filio suo ac novo Adae, in praedicto amplissimo mediationis opere, nolle coniungi seu eiusdem administram fieri atque adiutricem.

Perspicuae huius ac fundatissimae denegatio doctrinae, absurdam secumferret intimissimae coniunctionis et incensissimae caritatis dene-gationem, Iesum inter atque Mariam, ac proinde vicissim.

Cum sit autem mediatoris adiutrix, Maria est ergo tantum secundaria mediatrix: a Dei Patris enim bonitate gratuita, Christi intervenientibus meritis, admirabile hoc Spiritus donum, nempe mediaticis officium ipsamque mediandi vim, incessabiliter recipit; eaque proinde dependenter a Deo, ut creaturam decet ac filiam, sicut possidet ita et exercet. Incar-

nato item Dei Verbo, ut Filio redemptori praeredempta Mater et ut novo Adae nova pariter Heva, peramanter coniuncta, ab infinitis Iesu Christi meritis potissime virginalis cooperatio praetium sumit, impetrandi atque obtinendi virtutem ac dilargiendi auctoritatem.

Qua in re, scientifice profundiusque investiganda, rimanda atque exponenda, omnis vulgaris imaginatio prorsus est removenda, ac si scilicet, e Virgine, tamquam e terrae fonte, Spiritus Sancti gratia manaret; vel ac si per eam, materialem quasi per aqueductum, Paracliti effusio transiret; per eiusve corporales manus divina beneficia ad nos derivarent. At res, sicuti sunt, ita procul dubio et debent intelligi atque explicari, quatenus nempe Summi Genitoris Iesuque Amori, aut benefacere cupienti aut de facto benefaciensi, almae Virginis amor, Patris filiae, Christi genitricis et sociae, Spiritu Sancto plenae, Ecclesiae omniumque matris, incessabiliter manet coniunctus et in cupiendo et in benefaciendo.

Christi ergo mediatio aut unici divini mediatoris titulus, mediatricis officio atque nomine, nullimode minuitur vel obscuratur, at potius extollitur et honoratur: sunt enim, iterum, munus ac titulus non divinae necessitatis aut infirmitatis, sed dignitatis et convenientiae. Mariae enim, sicut corredemptio ita et mediatio, seu intima ad redemptorem seu mediatorem coniunctio, tamquam supremo e fonte, unice e Dei promanat amore erga Virginem, et Virginis erga Deum et nos. Tota ergo vertit in Dei ac Virginis gloriam et laudem».

Pag. 10, linn. 5-14. Hortamentum istud superfluum videtur. Si autem vellet servari, latinus verborum ordo ita forte in melius commutati posset: «Quapropter Sancta Synodus theologos divinique verbi enixe hortatur praecones ut, ad Ecclesiae magisterii sensum, Divinarum Scripturarum, sanctorum Patrum ac sacrarum Liturgiarum studium excolentes, B. Virginis munera atque officia cum aliis dogmatibus connexa, potissime vero quae ad Christum, totius veritatis, sanctitatis ac pietatis centrum attinent, in vera luce sedulo collocare nitantur; servata semper, quoties de Iesu simul ac Maria nomen aliquod aut officium praedicantur, debita analogia».

Novissima ergo textus verba (linn. 13-14): «etenim nullo modo Mater Dei aequiparanda est Christo», omnino expungenda videntur. Male enim sonant, et nulos revera feriunt scriptores catholicos, nisi forte sanctos illos theologiae gigantes qui edixere Mariam, divinae suae ma-

ternitatis ratione, fines veluti Divinitatis attingere ... Eos autem gigantes Ecclesia ferire non consuevit.

4. [*De singularibus privilegiis Dei hominumque Matris*].

Pag. 10, lin. 15, pag. 11, lin. 5. Haec omnia praetermittenda videntur, ob rationes quae sequuntur:

1) Cuncta ista nihil sunt nisi duorum documentorum pontificalium repetitio, scil. *Ineffabilis* Pii IX et *Munificentissimus* Pii XII; et quidem repetitio abbreviata, nihil certi addens, et minoris auctoritatis: a) per quam abbreviata: ut patet; b) nihil certi addens: ut pariter liquet, et ex secunda ratione mox luculentius innotescet; c) minoris auctoritatis: *Ineffabilis* enim ac *Munificentissimus*, saltem definitionis irreformabilis ratione, quae in utroque documento exstat, constitutionem exsuperaret huius Concilii.

Si autem n. 4 velit servari, nonobstantibus his rationibus quae graves videntur, sequentibus criteriis deberet aptari.

1) latinitas expolienda esset, eadem vel similia verba saepius repetita devitantes, verborum ordinem in melius commutantes etc.;

2) ea quae ad mortem B. Mariae referuntur expungenda essent, ne Concilium, cum ad discutiendum de illa re pervenerit, tempus insumat in negotio *nullius momenti dogmatici ac pastoralis*, cum fidelium et infidelium exigua aedificatione: de re enim agitur non tantum inter theologos disputata, sed quam Pius XII, in constitutione *Munificentissimus, studiose* vitavit, ut manifeste appareret etiam ex sola, sed attenta, textus inspectione.

Ergo, si hic n. 4 in constitutione servaretur, quoad B. Virginis mortem, res ita deberent disponi ut vel studiose eius affirmatio vitetur, vel hypothetice proponatur («si...»), vel historice referatur, quin decretum eam velut assumat: sicut se gessit Pius XII in *Munificentissimus* cum historice, et quidem verbum adhibens praeteriti temporis («fuit»), antiquorum fidelium persuasionem recolens, scripsit: «... haud difficile iisdem fuit assentiri magnam etiam Dei Matrem, quemadmodum iam Unigenam suum, ex hac vita decessisse».

His autem quaedam sunt reverenter at necessario animadvertisenda circa ea quae in prima medietate pag. 28 (in notis, ergo) proferuntur:

- a)* Verba Pii XII ex *Munificentissimus* deprompta, afferri nequeunt ad illius Pontificis propriam mentem illustrandam, cum ibi Papa historice antiquorum sententiam recolat, non autem persuasionem suam appetiat;
- b)* Ad Pii XII mentem, quoad Virginis transitum, positive investigandam, cf. *Ragguaglio Mariano*, 1950, p. 65, ubi photographicum specimen cuiusdam precis exhibetur, ab ipso Pio XII revisae, in qua, sua pontificati manu, ea quae ad Virginis in caelum assumptae mortem referebantur, ipse atramento suppressit, ipsam autem vocem «morte» ita atramento cooperuit *ut vix adhuc legi queat ...* Quid hoc significat? Unum e duobus vel Pontificem nolle ut de tali re agatur, aut inclinare ad sententiam morti adversam. Et hic de textu agitur, non de quodam vulgi rumore ... ;
- c)* Tandem, non sine stupore, in eadem p. 28, leguntur verba «*Traditio ... sull'argomento di tradizione*». Quo pacto enim parallelismus seu comparatio institui potest inter *singularem catholicorum antistitum et fidelium conspirationem*, qui *fere unanimi consensione* assumptionis definitionem petiere, et traditionem de morte Virginis? Etiam concessu esse antiquissimam et constantem, numquid est certe *divino-apostolica*?! Numquid, quoad hanc, sicut pro assumptione, «*directo atque ex auctoritate*» Summus Pontifex omnes interrogavit episcopos? Certe non! Numquid episcopi, suam clerique ac populi sibi respective commissi mentem aperientes quoad assumptionem, eadem prope unanimi consensione asseruerunt Mariam mortuam esse et id definibile autumarunt? Certe non, fatente ipsa harum paginarum notitia (cf. pag. 27, nota 26): «*Plus quam tertia pars ... dimidia pars ...*»! Quale discrimin inter prope unanimem consensionem quoad assumptionem, et tertiam vel dimidiad partem quoad mortem! Parallelismus seu comparatio inter assumptionem et mortem tunc tantum institui posset si episcopi, a Summo Pontifice «*directe et ex auctoritate*» interrogati, sicut praestiterunt pro assumptione, ita et pro morte, prope unanimi consensione affirmarent Virginis mortem esse definibilem ac definitionem peterent. Tunc revera, etiam quoad mortem, singularis antistitum ac fidelium conspiratio manifestaret mentem magisterii ordinarii universalis Ecclesiae; et tunc solum illa conspiratio seu doctrina «*per seipsum*» ostenderet sententiam morti faventem non esse mere historicam, sed *theologicam, immo ori-*

ginis divino-apostolicae, ideoque divinae infallibilis revelationis testem! Numquid huc sumus? Ideoque ea quae latine et italice, in praedicta prima medietate pag. 28 referuntur, accuratius deberent considerari, quia fortasse parallelismus inter doctrinae statum quoad assumptionem et quoad mortem iure meritoque nondum institui potest. Consultum ergo videtur mortis mentionem vitari, eo vel magis quod inter Mariae ac nostrum transitum esse posset non univocitas sed analogia: quatenus in transitu nostro, anima a corpore separatur separatione mortis; dum in Mariae transitu, anima separari a corpore ad tempus potuit non morte, sed vehementissima extasi, de qua loquitur Paulus 2 Cor. 12, 1-4 (et S. Theresia Abulensis) quam non resurrectio secuta esset sed assumptio tantum, vi cuius corpus, animae raptae iterum coniunctum, ad caelum enectum fuisse.

Et, revera, si attendatur non tantummodo antiquissima illa mortis traditio, sed et *omnium temporum universae Ecclesiae sensus*, dici nequit Ecclesiam sentire Mariam mortuam fuisse univoce uti nos ...

His quoque considerationibus suadetur ut etiam hoc decretum a mortis mentione abstineat.

Textus ergo, si servari velit, ita posset aptari: «Maria Virgo a Deo, qui ineffabili eam est prosecutus amore, privilegiis plane singularibus ditata est mirabilis in ortu, in Conceptione immaculata, mirabilis deinceps, cum omnis personalis culpae expers, ac simul mater semperque virgo, mente et carne exstiterit; mirabilis tandem in exitu,

[1]

quia, expleto vitae temporalis cursu, corpore et anima gloriose est in caelum assumpta.

[2]

quia si, secundum antiquam ac venerabilem traditionem, mortem subiit temporalem, quo plenius Filio suo conformaretur, nexibus tamen mortis deprimi procul dubio minime potuit, et, ut catholicae fidei dogma tenet, corpore et anima gloriose est in caelum assumpta.

Quae singularia privilegia aliaque gratiae dona, intuitu meritorum redemptoris divinitus Mariae collata vel ab eodem profluentia, ita in Christi honorem redundant, ut excelsa Matris munera contemplari nequeamus, quin ipsius Filii bonitatem, amorem, omnipotentiam miremur ac celebremus.

Sicut enim matris iniuria afficit filium, ita et matris gloria in filium redundat: ideoque, eo quod Maria singularem cum Nato suo affinitatem habuerit, decuit ut ex praevisis perfectissimi Salvatoris meritis, totius sanctitatis auctoris, – qui ad peccatum destruendum venit in mundum –, inde a primo conceptionis instanti ab omni culpae labore praeservaretur immunis, atque longe ante universos angelicos spiritus ac sanctos tot gratiis ornaretur ac donis, ut Dei Patris filia, Verbi mater, Spiritus Sancti sacrarium, omnibus creaturis dignitate praecelleret.

Plane quoque oportebat ut Filius, qui peculiari Genitricem suam prosequebatur dilectionis affectu, – quique corporalem Matris integritatem in ipsomet partu incorruptam veluti atque illibatam servare, ita ut «virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo» effunderet –, corpus illud, augustum divini Verbi tabernaculum, totum sanctum, totum castum, in cinerem resolvi non pateretur».

5. [De cultu erga beatissimam Mariam Virginem].

Pag. 11, linn. 6-28. Doctrinae soliditas, styli perspicuitas, pastoralis sollicitudo postulare videntur ut cultus erga Deiparam fundamenta seu radices vel rationes recolantur. Non videtur ergo sufficere quod generice dicatur: «Quoniam ... Virgini singularis competit excellentia ...».

Fundamenta autem haec seu radices vel rationes ad unionem reducuntur inter Patrem, Filium, Spiritum Sanctum ac Mariam et vicissim, atque inter ipsam et nos ac vicissim.

Recolenda sunt ergo, ut sequitur vel alio meliori modo: «Cum igitur, ut dictum est, Deus Mariam prae omnibus creaturis cunctisque sanctis, aeterna caritate dilexerit atque incessabiliter diligit; ipsa vero, perfectione quam nullus unquam attigit vel in posterum attinget, Altissimum ex toto semper redamaverit ac redamet corde, ideoque mutua strictissima perpetualliter nectantur unione, hinc manifesto sequitur ac liquet pleno Dei cultori impossibile esse Omnipotentem debita, scil. latiae, adoratione

revereri, quin dilectissimam immensisque, immo singularibus, gratiarum monilibus decoratam, summi Patris filiam, Incarnati Verbi matrem ac sociam, necnon Sancti Spiritus habitationem, congruo, hyperduliae nempe, cultu haud venerari.

Id ipsum quoque innotescit si relationes considerantur non unice Deum inter et Mariam atque vicissim, sed praecise Christum inter ac Mariam per respectum ad nos et vicissim. Cum enim B. Virgo, divinae maternitatis titulo atque associationis cum Iesu in redemptionis ac mediationis opere, Ecclesiae omniumque etiam hominum, licet non eadem perfectione, mater exstet, eamdemque, immo et eosdem, incensissimo amore perdiligat; hinc sequitur profecto ac patet, Ecclesiam imprimis, ac universarum quoque gentium familiam, non eadem quamvis perfectione, ad tantam Matrem medullitus redamandam inclinari ac teneri, immo et peculiarissima veneratione prosequi».

Cultus fundamentis, radicibus, rationibus ita, vel alio meliori modo memoratis, addi poterunt ea quae hic, scil. in decreti schemate exhibito, afferuntur, nonnullis tamen inductis mutationibus minoris momenti, ut, e. g.: lin. 12, loco «cunctis» ponatur «permultis»: buddistae enim aliive beatam Virginem non colunt; «ab universis ritibus», addatur: «Ecclesiae»; lin. 19, loco «igitur» ponendum videtur «enim», ut ea quae ibi dicuntur, appareant non abstracte asserta, sed tamquam praecedentis assertionis probatio; etc.

Textus ergo, his aliisve parvis mutationibus, etiam elegantiae causa, inductis, sic exhiberi posset: «Quoniam igitur beatissimae Virgini haec singularis competit excellentia, ita etiam ut a Dei nuntio Gabriele archange «gratia plena» (*Lc. 1, 28*), et ab Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, benedicta inter mulieres salutari meruerit (cf. *Lc. 1, 42*), nihil mirum si, quemadmodum ipsamet de seipsa prophetavit «beatam me dicent omnes generationes» (*Lc. 1, 48*), ab innumeris pene gentibus et ab universis Ecclesiae ritibus, suffragiis saeculorum decursu continuo crescentibus,³⁵ omni quidem cum laude «beata» praedicatur, atque ut talis amatur, colitur, invocatur, eademque in exemplum ad imitandum pronitetur.³⁶

Tantum vero abest ut singularis huiusmodi marialis veneratio, divino latriae cultui, quo Incarnato Verbo quemadmodum et Patri et Spiritui Sancto adoratio exhibitetur, detimento sit, quin potius illi quam maxime faveat.

Variae enim erga Dei hominumque Matrem formae pietatis, quas Ecclesia — intra sanae et orthodoxae doctrinae limites, pro temporum et locorum conditionibus et pro fidelium indole atque ingenio — approbavit, ad id spectant ut, dum Mater honoratur, Filius, in quo aeterno Patri omnem plenitudinem inhabitare complacuit (cf. *Col.* 1, 19), rite agnoscatur, ametur, glorificetur eiusque serventur mandata; et sic per Christum, qui est “via, veritas et vita” (*Io.* 14, 6), homines ad Dei unius ac trini cognitionem supremamque perducantur adorationem».

Linn. 29-34. Propositio emendetur, ut vitentur duo «ut»; loco vocis «sana», quae lin. 20 adhibita est, ponatur «sincera» (vox tridentina); potius quam «eodemque tempore admonet episcopos», dici elegantius posset «simulque episcopos admonet», licet perpendendum sit an congrue Concilium, quod omnibus episcopis constat, dicatur episcopos admonere ... At, transeat! Futuros praesertim respiciet episcopos!

Textus ergo ita posset expoliri: «Quam sinceram, catholicam doctrinam Sacra Synodus consulto recolit, simulque episcopos reverenter hortatur ad theologis divinique verbi praeconibus sedulo invigilandum, ut ab omni falsa veritatis superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Dei parentis dignitate consideranda et illustranda, abstineant³⁷».

Pag. 11, lin. 35- pag. 12, lin. 5. Ne calatum quassatum videamur confringere, aut linum fumigantem extinguiere, ita textus aptari posset: «Utriusque ergo sexus fideles omnem vanam respuant credulitatem, ac veram devotionem meminerint non in quodam tantum unius momenti affectu proprie consistere, at e sincera et plena fide, caritate scilicet informata, procedere; qua ad Iesu Matrem ex animo diligendam (cf. pag. 11, llin. 14 et pag. 12, linn. 8-9) adducimur, ideoque ad unionem cum ea, atque ad virtutum imitationem illius beatissimae Virginis,³⁸ quae “ancilla Domini” (*Lc.* 1, 38), humillima et oboedientissima fuit, quaeque fidelissime servavit, ea “conferens in corde suo” (*Lc.* 2, 19), quaecumque ad Verbum Incarnatum pertinebant (cf. *Lc.* 2, 51), beata quia creditit (cf. *Lc.* 1, 45) salutata. Nihil enim materna Mariae propinquitas profuerit, “nisi felicius Christum corde quam carne gestasset”³⁹».

Pag. 12, linn. 6-10. Haec satis contorta propositio, pulchram quidem rem asserit, at quae in perpetuo quodam Concilii decreto posset omitti.

Si autem servabitur, ita fortasse posset planius proponi: «Qua Domini ac Salvatoris nostri Matrem honore debito ipsos quoque haud paucos fratres separatos prosequi, potissimum vero orientales, – qui in Deiparam peculiari modo colendam fervido quodam feruntur impulsu⁴⁰ –, magnum sacrae Synodo gaudium ac solatium affert».

Linn. 11-13. Haec quoque propositio posset omitti. Si servabitur, ita forsitan leviter expoliri posset: «Hinc manifesto patet perperam ac immrito cultum erga Dei Genitricem exprobrari catholicae Ecclesiae, tamquam si exinde ex uni Deo ac Iesu Christo cultui debito aliquid subduceretur».

6. [Maria SS. fautrix unitatis christianaæ].

Sicut praecedens n. 5, ita et hic n. 6, taliter exhibendus est ut eiusdem connexio pateat cum principiis, in praecedentibus numeris, praesertim 2 et 3, positis.

Ideoque, talibus principiis ad memoriam revocatis, ita numerus aptari posset.

Pag. 12, linn. 14-20. «Maria, Virgo sanctissima, alma redemptoris genitrix atque socia, omniumque gratiarum mediatrix, cum in Calvario universos homines materno cordi publice solemniterque in praedilecti apostoli Ioannis persona commendatos habuerit, vehementer cupit ut non modo illi qui uno sunt donati Christi baptismate, unoque Spiritu aguntur,⁴¹ verum etiam ii qui se a Domino Iesu fuisse redemptos ignorant,⁴² una eademque, sive cum divino Salvatore sive inter seipso, fide et caritate cohaereant».

Linn. 20-27. Latinitas leviter est expolienda, etiam ut triplex partculae «ut» adhibitio vitetur: «Quapropter certa spe ac fiducia Sancta Synodus nititur fore ut haec Dei hominumque Mater, – qua interveniente (cf. *Io. 2, 3*) Incarnatus Filius in Cana Galileae primum operatus est signum, ex quo in eum crediderunt discipuli eius (cf. *Io. 2, 11*), quaeque Ecclesiae nuper ortae adstitit,⁴³ – patrocinio suo a Deo impetraret ut omnes in eumdem gregem sub uno Pastore tandem aliquando conveniant (cf. *Io. 10, 16*) 44».

Linn. 27-36. Etiam in hac propositione adsunt duo «ut», quae eam

minus planam reddunt. Posset ergo ita perfici: «Quamobrem universos hortatur fideles, ut hanc ad unitatis fautricem,⁴⁵ atque christianorum Adiutricem, supplicationes instanter effundant; cuius potenti intercessione permotus, cunctas gentium familias, illos praeprimis qui christiano gloriantur nomine, divinus eius Filius in unum Dei populum congreget, qui Christi in terris vicarium, B. Petri successorem, – quem in Ephesina Synodo, ubi divinae maternitatis dogma sollemniter sancitum fuit, unanimi plausus Patres "fidei custodem" merito consalutarunt – tamquam communem Patrem amanter agnoscant».

Animadversiones additae:

Nomine plurimorum Patrum, non spiritu novitatis sed verae caritatis et amore veritatis ductus, loquor de argumentis hucusque adductis contra distinctionem schematum *de Ecclesia et de B. Virgine Maria*. Et impensis sequentia notare vellem:

a) Et ipse em.mus card. Franciscus König bene novit vim argumentationis em.mi card. Rufini Santos cum scripserit: «his omnibus perlitter et ex corde consentio»;

b) Ex argumentis hucusque adductis, unum potissimum colligitur: nexus scil. inter Mariam et Ecclesiam; ex quo tamen concludere fas est:

1. ergo schema de Ecclesia, uti prostat, est imperfectum. *Ratio:* de Maria nihil dicit.

2. Defectus vero non corrigitur per simplicem appositionem novi capitinis in fine schematis. *Ratio:* defectus non est post finem tractationis sed in ipsa tractatione: ubi vulnus, ibi remedium!

3. Et theologi ad confectionem schematis propositi certe sciebant nexus adesse inter Mariam et Ecclesiam; unde rectius de hoc scheme dicere fas sit «taliter a talibus studiose proponi ut exigat novam ac pleniorem tractationem de B. Virgine Maria».

4. Denique plura argumenta multoties peccant contra illam syllogismi regulam quae sic enuntiatur: terminus esto triplex: multoties enim ex ordine reali ad logicum illogice fit transitus.

Sed ad singula prolata argumenta veniam!

1. «*Maria est membrum Ecclesiae Christi; ergo de illa fiat sermo ubi de Ecclesiae membris disseritur*». Verum esse videtur, at contra est:

a) Maria non est ut cetera membra Ecclesiae. Ex singulari misione, singularibusque privilegiis singularis tractatio!

b) Nexus inter Mariam et Ecclesiam reale est, tamen: 1. Multa privilegia mariana, certe, antecedunt Ecclesiam; 2. Maria operata est etiam quando Ecclesia nihil erat, ut in Evangelio prostat; ergo Maria non potest simpliciter connumerari inter cetera membra Ecclesiae Christi!

c) Exaggerationes in mariali cultu reapse existunt; at Concilium est optima occasio ut omnibus, catholicis et non catholicis, dicatur quid de Maria sentire debemus ut, depulsis erroribus, foveatur vera devotio. Quod si

d) Verba Papae Pauli VI f.r. in solemnni quodam sermone prolata aperte demonstrant Mariam esse membrum et typum Ecclesiae, eo ipso demonstrant illam non esse ut cetera membra populi Dei; ergo ad sententias oppositas distrahi possunt! Ac insuper addere possumus: Summus Pontifex dixit, sed omnia dixit? ... si circumstantias inspicimus, non omnia erant dicenda: ergo stat difficultas! Et si malitia tandem indulgerem, dicere fas mihi esset: Summus Pontifex tot confusiones vidi ut ad Mariae patrocinium commendavit incolumitatem saltem quarundam veritatum!... .

2. «*Schema separatum a pluribus acciperetur uti nova definitio marialis. Ergo, quae de Maria dicenda sunt, in schemate de Ecclesia dicantur*». At contra est: *a) plura schemata prae manibus conciliares Patres habent et nemo illis vim definitionis tribuit; b) schema de B. Virgine Maria, ut cetera, in manibus tradetur illorum qui saltem legere sciunt; et ex contextu clare apparebit non agi de definitione.*

3. «*Maria est Ecclesiae typus; ergo bonum videtur de illa sermonem facere quando de Ecclesia sermo fit*»; at contra est:

a) Certe Maria est typus Ecclesiae, sed Ecclesiae estne tantum typus? ...

b) Si typologia est tanti momenti in ecclesiali theologia, quare de patriarchis et prophetis nullus fit sermo in schemate – et ipsi pertinent ad typum Ecclesiae! – et tantummodo de Maria fieri debet? ...

c) Cum plura, in Maria, typologiae Ecclesiae non accommodentur, rectius dicendum esset: 1. quae typologiae Ecclesiae accommodantur, in schemate de Ecclesia dicantur; 2. quae vero typologiae Ecclesiae non accommodantur, alio in schemate proponantur: et sunt plura, et maximi momenti! ...

4. «Ex schemate separato, magis videmur honorem tribuere Mariae quam Christo: ergo uniantur schemata!» at contra est:

a) in schemate *de Ecclesia*, nullum habemus caput «de Iesu Christo»; ergo difficultas maneret!

b) E schematis textu de B. Virgine Maria clare appareret Mariam non esse super nec contra Christum;

c) Ipsa confusio plures et merito denuntiata postulat clariorem expositionem dogmatis mariani; quae confusio faciliter dirimitur clara expositione quam silentio vel paucis verbis!

d) Pastorale munus est docere et docere praedicando («vaeh mihi si non evangelizavero»); sed praedicare debemus praesertim, dicit Paulus, quando fideles «a veritate quidem auditum avertent ... et ad fabulas convertuntur».

5. Argumentum historicum sic instruitur: «Plura quae de Maria dicuntur, de Ecclesia dicebantur; ergo unica tractatio!» At contra est:

a) antecedens gratis affirmatur, gratisque negatur.

b) Dato et non concesso antecedente; si plura, non omnia! Ergo argumentum non concludit.

c) Elementa de quibus sermo, dicuntur «personalia»; ergo ad Mariam referuntur praedicatione directa et propria; ad Ecclesiam vero praedicatione indirecta seu metaphorica.

d) Metaphorae tamen in theologia et praesertim in constitutione dogmatica conciliari non sunt nimis extollendae; secus et de nobis dicere possent nostri fideles: «a veritate quidem auditum avertent. .. ad fabulas convertuntur».

6. Ratio pastoralis sic proposita fuit: «ut populus doceatur de recta fide in Incarnationis mysterio, ne negligendo essentialia, ad secundaria et accidentalia tantum abducantur!». Tamen notandum est:

a) Quo modo ad conclusionem unicae tractationis tum de Ecclesia tum de B. Virgine Maria sit deveniendum ex praemissa posita est difficile scitu.

b) Argumentum posset forsitan concludere si ageretur de Verbo Incarnato, non vero de Ecclesia! ‘

c) Maria, in contextu, apparet ut aliquid mere secundarium et accidentale; quod falsum est!

d) Abusus in mariali devotione non sunt contra schema separatum, immo sunt pro schemate separato ut veritas clarius appareat.

7. Ratio oecumenica, generaliter sic proponitur: «Si de Maria dicimus tantummodo quod est Mater Dei et Ecclesiae typus, et fratres separati nobiscum hanc fidem profiterentur». Hoc verissimum est, at contra est:

a) Oecumenismus est in confessione vel in occultatione veritatis faciens?

b) Concilium doctrinam catholicam exponere debet vel doctrinam nostrorum fratrum separatorum?

c) Traditam doctrinam, fidei progressu ipsorumque fidelium sensu fidei per tot saecula clarificatam, cui spernere et oblivisci licet?

d) Occultatio veritatis, nos et separatos offendit: 1. nos quia hypocritae videmur; 2. separatos qui debiles videntur et a veritate offendi.

e) Hodie, convenientes in unum, nos et separati, aperte disserendo, traditionales obiectiones solvere possumus et ad unitatem sternere viam. Hoc opus videtur esse praecipuum Concilii ad Oecumenismum quod attinet; secus, quid prodest remanere corpore uniti et corde et mente separati?

Ex dictis, conclusio! Separantur schemata; fidem aperte profiteamur; magistri simus – uti sumus – in Ecclesia, clare docendo non vero vera occultando, illius Pauli memores: «Ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamus omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in caritate, crescemos in illo per omnia, qui est caput Christus» (Eph. 4, 12 ss.).

II. – DOCUMENTAZIONE SUL “CAPITOLO VIII”

1. Il capitolo VIII della costituzione dogmatica sulla Chiesa *Lumen gentium* fu preparato in 5 redazioni successive dalla Sottocommissione deputata (redattori incaricati: Mons. Gérard Philips e p. Carlo Balić). Essi trasmisero il testo alla Commissione Dottrinale, che lo esaminò e lo ritoccò in più riprese: nacque la 6^a redazione, che sottoposta dapprima alla Commissione di coordinamento dei cardinali, fu inviata, per ordine di Paolo VI, con tutta la costituzione *De Ecclesia*, in duplice colonna, ai Padri conciliari nel mese di luglio 1964.

Si veda l’attenta descrizione di tutto il laborioso cammino di stesura del capitolo VIII nel mio volume: *La Beata Vergine Maria nel Concilio Vaticano II*, Centro di Cultura Mariana «Madre della Chiesa», Roma 2004, spec. p. 215 ss.

2. La terza sessione del Concilio si dedicò fin dall’inizio al dibattito sullo *schema constitutionis De Ecclesia*; il dibattito sul cap. VIII: *De Beata Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae* ebbe luogo in tre Congregazioni Generali: la 81^a (16 settembre 1964), la 82^a (17 settembre 1964), la 83^a (18 settembre 1964).
3. Solo il padre Generale dei Servi di Maria, p. Alfonso M. Montà, dopo averla chiesta tante volte, ebbe finalmente la parola in aula durante la 82^a Congregazione Generale; invece Mons. Bernardo M. Cazzaro e Mons. Giocondo M. Grotti non poterono che presentare le loro *animadversiones* in scritto.
4. Su tutto questo argomento, le vicende servitane occorse, come pure per le minute dei testi conservate presso la Biblioteca della Pontificia Facoltà Teologica «Marianum», rinvio al mio lavoro: *Contributo dei Servi di Maria al capitolo VIII della “Lumen gentium”*, in *Marianum* 57 (1995) p. 182-217. Ivi ho presentato anche una breve analisi critica e comparativa col testo ufficiale e le proposte avanzate dai Servi di Maria.

Qui dunque mi limito a riprodurre quanto è stato pubblicato dall’edizione vaticana.

1

*Sermo et textus del p. Alfonso M. Montà
 (Acta Synodalia, III, i, p. 530-536:
 sermo et textus super cap. VIII De Ecclesia, prooemium*

12
 Rev.mus P. D. ALFONSUS M. MONTÀ
Superior generalis Ord. Servorum Mariae

Venerabiles Patres,

*Concedatis mihi aliquas animadversiones in prooemium istius
 cap. VIII «De Beata»; solummodo aliquas, cetera secretariae con-
 signavi.¹*

*Prima animadversio² In hoc ...³ prooemio periodus adest
 ubi propositionum ordo et theologicarum rationum nexus sat ob-
 scurus dicendus est: periodus nempe quae pergit a lin. 22 (sic dicit:
 «A Filio suo sublimiore etc ...») usque ad lin. 29 ...⁴*

Nec omittendum censeo circulum vitiosum quosdam lectores
 ibi advertere posse. Nam verba illa: «*hoc summo munere ac digni-
 tate ditatur*» facile referri possent supradictae maternitati erga
 Deum ac Redemptorem ...⁵; ideoque ita, legendo, intellegere pos-
 sent: «*Hoc summo munere ac dignitate (i. e. divinae maternitatis)*
ditatur ut sit Genetrix Dei Filii»: quae profecto circulum vitiosum
 includunt ...⁶

*Quapropter consulens perspicuitati, proponerem textum:⁷
 «*Singulari propterea omnipotentis Dei privilegio, intuitu merito-
 rum Christi Iesu sublimiore modo redempta fuit ac tantae gratiae
 plenitudine ditata, ut praedilecta sit eiusdem Patris Filia, dignis-
 sima Filii Dei Mater Eique arcto et indissolubili vinculo unita, nec-
 non Sancti Spiritus sacrarium, ac proinde omnibus aliis creaturis,
 caelestibus et terrestribus, longe antecellit» ...⁸**

*Animadversio secunda.*⁹ Relate ad eumdem n. 52, pag. 197, lin. 29 (verbis «Simul autem etc ...») ad pag. 198, lin. 9 (... prosequi semper etc.)¹⁰ ...

1. Prorsus mirum est allatum S. Augustini locum (*De Sancta virginitate*, n. 6) suis primis momentosis et ad rem facientibus verbis mutilum esse ac si auctores textus emendati timerent asserere B. Mariam esse omnium «*membrorum matrem*», vel ipsius spiritualem maternitatem modo tantummodo vago adumbrare vellent.

Cum vero S. Augustinus aperte dicat (*lego verba*¹¹): «(Maria) mater quidem *spiritu* non Capitis nostri ..., sed plane mater membrorum eius, quod nos sumus, quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius Capitis membra sunt...», patet ipsius S. Doctoris mentem nedum restrictam sed forsitan alteratam evasisse.

Unde concludimus locum S. Augustini aut prorsus auferendum aut integre apteque ponendum.

2. Ea quae de «*filiali* pietatis affectu» in fine dicuntur (cf. pag. 198, linn. 8-9) non possunt referri ad B. Virginem quatenus est «supereminens prorsusque singulare *membrum Ecclesiae*», sed ad eam quatenus est «*membrorum mater*». *Filiatio connotat maternitatem.*¹² Haec igitur verba transferenda censeo ubi locus ponitur S. Augustini spiritualem maternitatem Mariae extollentis.

3. Praeterea, cur non dicitur B. Mariam Virginem esse Ecclesiae typum et exemplar *etiam qua spiritualis mater*, ut idem Augustinus in *Sermone 191*, et non tantum qua *supereminens membrum*, et ex tenore textus emendati? Hac de causa, mea sententia, omnino adiungendum esset:¹³ «*utroque sub respectu ... Ecclesiae typus et exemplar*» ...¹⁴

Denique formula «catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta» in Conciliorum documentis valde solemnis est, ideoque rebus difficilioribus statuendis vel vindicandis reservata, ut e. g. ex Decretis Communionis sub unica specie ...¹⁵, existentia Purgatorii (cf. Denz¹⁶).¹⁷...

Ideoque praedictam formulam (« a Spiritu Sancto edocta») transferendam puto ad locum ubi Concilium intentum suum notis¹⁸ solemniter declarat. Quapropter totus textus sic aptaretur¹⁹:

«Simul autem cum omnibus hominibus salvandis in stirpe Adam invenitur coniuncta, immo “spiritu ... plane mater est membrorum Capitis, quod nos sumus, quia cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae huius Capitis membra sunt”; ideoque catholica Ecclesia eamdem B. Virginem filiali pietatis affectu se prosequi semper professa est.

«*Maria autem ad ipsum Ecclesiae Corpus pertinet non solum ut spiritualis Mater sed etiam ut membrum*, supereminens tamen prorsusque singulare; et, utroque sub respectu, eiusdem Ecclesiae typus et exemplar spectatissimum salutatur.

«Ideo Sacrosancta Synodus etc».

*Ultima animadversio indolis generalis.*²⁰ Ad cetera autem quod attinet in toto cap. VIII contenta, ne vos, venerabiles Patres, taedio afficiam repetendo quae alii in hac aula iam dixerunt, sufficiat dicere me una cum omnibus Patribus Conciliaribus Ordinis Servorum B. Mariae Virginis, perfecte adhaerere omnibus observationibus ac propositionibus quae in hac aula sapientissime prolata sunt ab em.mis card. Ruffini, Wyszynski et Suenens²¹ necnon ab exc.mis DD. Contado Mingo et Rendeiro.²²

Mea enim humili sententia, venerabiles Patres, est²³ inusitatum, ne dicam iniuriosum fieri²⁴ Ecclesiae Traditioni, Patres in Concilio Oecumenico adunatos parvi facere doctrinam a Summis Pontificibus tot authenticis documentis prolatam circa B.mam Virginem Mariam. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² (n. 52, pag. 197, linn. 11-17). In textu priore clara et opportuna aderat distinctio inter adorationem Deo

debitam et venerationem Virgini tribuendam; et in eodem textu iure ponebatur «etiam»: «... Christum Caput ... adorantes... memoriam etiam venerentur oportet “imprimis gloriosae semper Virginis Mariae”». Hanc distinctionem resumendam esse censeo, ita tamen ut adoratio dirigatur ad Patrem, iuxta vulgatum usum sive biblicum sive liturgicum. Ad vitandum insuper omnem confusionis possibilitatem inter prooemii initium et locum meo iudicio emendandum, ubi dicitur «Ecclesia, quam Dominus ut corpus suum constituit ...», addendum puto determinationem «Jesus» et ita dicerem: «Ecclesia, quam Dominus Jesus ...». Sub luce harum animadversionum textum isto vel aptiore modo emendandum censeo, scil. «... Ecclesia, quam Dominus Jesus ut corpus suum constituit, et in qua fideles eidem Christo Capiti adhaerentes atque cum omnibus sanctis eius communicantes ac per ipsum, cum ipso et in ipso aeternum Patrem adorantes, memoriam etiam venerentur oportet “imprimis gloriosae semper Virginis Mariae, Genetricis eiusdem Dei et Domini nostri Iesu Christi...”». Animadversio secunda (n. 52, pag. 197, linn. 22-29). ³ ipso. ⁴ («longe antecellit ...»). ⁵ (cf. linn. 18-22). ⁶ Possibilitas igitur huius erroneae lectionis esset profecto semovenda. ⁷ Perspicuitati consulens, ita textum emendarem. ⁸ In hac emendatione, ut omnibus patet, fideliter propositus est nexus idearum Bullae dogmaticae *Ineffabilis Deus* et ordo trinitarius, ut ibi invenitur. ⁹ Animadversio tertia (n. 52, pag. 197, lin. 29 ad pag. 198, lin. 9). ¹⁰ non pauca advertenda videntur. ¹¹ deest. ¹² deest. ¹³ puto. ¹⁴ 4. Tandem virtutibus fidei et caritatis in quibus B. Virgo dicitur «typus et exemplar spectatissimum» (pag. 198, linn. 6-7) addenda saltem videtur virtus theologica spei; vel, quod mihi magis placet, omittatur hic mentio tum fidei tum caritatis, ita ut absolute dicatur Maria esse typus et exemplar spectatissimum Ecclesiae, nulla addita specificatione in prooemio. ¹⁵ 15 (DENZ. 1726 iuxta novissimam editionem). ¹⁶ (*ibid.* 1820). ¹⁷ apparet. ¹⁸ satis. ¹⁹ His omnibus praemissis, textum ita aptarem. ²⁰ deest. ²¹ deest. ²² deest. ²³ deest. ²⁴ videretur.

Animadversiones additae:

Ad n. 53, pag. 198, linn. 35-37. In textu emendato deest nunc verbum «praesertim», quod in textu priore advertebatur; introducta est autem formula «ut oportet».

Nihil contra hanc suppressionem et additionem dicimus; advertimus tamen verbum «praesertim» doctrinam quamdam intrinsecam secumferre, quae proinde cecidit; formulam vero «ut oportet» indolis esse posse tantummodo iuridicae seu meram iussionem externam significare. Doctrinam illam, quam diximus «intrinsecam», hanc esse putamus: primaeva documenta, iam in seipsis inspecta, proferre Redemptoris Matrem, praesertim autem «si sub luce ulterioris et plenae revelationis considerantur».

Mea sententia textum ita aptarem: «... praesertim si primaeva documenta, ut oportet, sub luce ulterioris et plenae revelationis considerantur, qualiter in Ecclesia leguntur».

Ad n. 53, pag. 199, linn. 24-25. «Mirum non est apud Sanctos Patres usum invaluisse»: forsitan opportune addi posset: «aliosque venerabiles Ecclesiae scriptores», ut totius «venerandae traditionis» (pag. 198, lin. 28) conspectus significetur; atque hic etiam congruenter explicita mentio inseri possit privilegii Immaculatae Conceptionis, emendato, ut sequitur, textu, vel alio meliori modo: «... mirum non est apud Sanctos Patres aliquosque venerabiles Ecclesiae scriptores usum invaluisse quo Deiparam appellarent totam sanctam et ab omni peccati (in textu legitur peccato, certe ob typographicam mendam) naeve, immo et ab ipsa originali labe immunem ...».

Ad n. 53, pag. 199, lin. 36. «Filia Adam»: melius accuratiusque dicendum «privilegiata filia Adam»; nam Maria, antequam Mater Iesu fieret, non erat simpliciter una e filiabus Adam, «cum fuisset – ut ipsis verbis textus emendati utar – Spiritu Sancto plasmata ac nova creatura» (pag. 199, linn. 27-29).

Ad n. 53, pag. 200, linn. 30-31. «... pastoribus et Magis laetabunda ostendit»: Ad iterum adumbrandum salutis munus cui B. Virgo cooperata est, congruenter introducerentur quaedam verba ex Evangelio deprompta, sicque textus aptari posset: «... pastoribus et Magis, qui divinum Infantem proni adoraverunt, laetabunda ostendit» (Mt. 2, 11).

Ad n. 53, pag. 200, linn. 36-42. His alineis clauditur brevis periodus ubi quater vox «eius» recurrit et nonnulla alia advertuntur, non sine elegantiae iactura; ideoque textus ita fortasse aptari posset: «Puerum Iesum deperditum et cum dolore quae situm, Eius parentes in templo invenerunt

in his, quae Dei Patris erant, occupatum; Filii autem verba non intellexerunt, omnia vero haec mater in corde suo meditabunda conservabat».

Ad n. 53, pag. 201, linn. 2-12. Nonnulla, hanc quoque circa periodum, advertenda videntur. Adverbium «Durante» in bonis latinitatis lexicis prorsus desideratur. Vox autem «signanter» non plane respondet evangelicae narrationi, in qua aliae personae signanter apparent, v. g., Petrus ceterique apostoli; non ita autem dicendum est de humillima Iesu Matre.

Verba tandem «misericordia permota» minus bene eliguntur, nam vox «misericordia» incongruenter adhibetur ubi non agitur de interventu erga spiritualiter miseros aut in materialibus indigentes; coniunctio autem verborum «misericordia permota», elegantia carere videtur.

His praemissis, hoc aliove meliori modo textum emendandum arbitror: «Dum Jesus publicam vitam ageret, Eius Mater haud raro apparet; in initio quidem, cum ad nuptias in Cana Galilaeae primum effusionis gratiae messianicae signum, suo induxit materno interventu. Dum vero, evangelicae praedicationis decursu, Regnum caelorum ultra carnis sanguinisque rationes et vincula divinus Magister extolleret, ac Dei verbum fideliter audientes et custodientes beatos diceret, hos inter omnes, ipsius Genetrix principem procul dubio obtinuit locum».

Ad n. 53, pag. 201, linn. 12-18. Si comparetur doctrina harum alienarum textus emendati, ubi maxime agendum esset de munere B. Mariae Virginis in oeconomia salutis, cum ipso textu priori et signanter cum momentosis atque ad rem facientibus documentis pontificalibus, eorumque probatis fontibus, statim apparet inexplicabilis quaedam pauperies, regressio et decurtatio (numquid sufficit dicere «immolationi amanter consentiens»?); ideoque in hac mea emendatione, praeter quasdam mutationes elegantiae causa inductas, ad Pii XII Encyclicas Litteras *Mystici Corporis Christi* redeundum puto, depromptis ex eodem textu fere ad litteram verbis, quorum quaedam iam inveniebantur in priori Concilii textu: «Generosae autem Matris cum Filio Redemptore arctissima unio tunc maxime enituit, cum non sine divino consilio iuxta crucem stetit, ita Unigenito suo condolens ut Victimam de se genitam, una cum transfixi cordis sui holocausto, nova veluti Eva, per Ipsum, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapsu foedatis, Aeterno obtulerit Patri».

Ad n. 53, pag. 201, linn. 18-21. «... fidelium figurae» ita simpliciter

in textu legitur, at iuxta nonnullorum Patrum ac Summorum Pontificum loquendi modum plenius veriusque dicendum videtur: «fidelium, immo et omnium hominum figurae».

Sufficiat hic referre auctoritates Leonis XIII ac Pii XI: «In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis, eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent ...» (LEO XIII, *Adiutricem populi*). «... Maria, quae, cum homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovet ac diligit, qui se fuisse a Christo Iesu redemptos ignorant, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter» (PIUS XI, *Rerum Ecclesiae*).

Ad n. 53, pag. 201, linn. 29-31. «... donum Spiritus», plenius iuxta Evangelii (*Lc. 1, 28*) et Actuum textus (*Act. 2, 1-4*), dicendum videtur: «... Mariam ... implorantem Sancti Spiritus adventum, qua erat plena quique ipsam in Annuntiatione obumbraverat».

Generalis animadversio in cap. VIII.

Contra universum cap. VIII, de Deipara, ita obiici posset. Nemo asserere valet marialia Ecclesiae universim sumptae, et signanter Romanorum Pontificum, documenta minori gaudere auctoritate quam sacri huius Concilii mariologicum caput; asserendum econtra esset praesertim supremos Christi Vicarios ampliora et clariora tradidisse ac tradere quam Concilium Vaticanum II.

Qui ergo, in Ecclesia catholica vel extra ipsam positus, plenam de Virgine addiscere doctrinam cuperet, ipsi incessanter respondendum erit deprompto signanter ex Romanorum Antistitum documentis doctrinae marialis compendio.

Nec dicatur Petri successores fontibus uti minoris auctoritatis quam sacrosancta Vaticana Synodus, eo quod Vaticanum Concilium fere unice Biblam antiquioresque Patres in re mariologica adhibeat, dum Romani Antistites etiam at praesertim, ut in re de Immaculata Conceptione et Assumptione liquido patet, ad Ecclesiae universalis consensum recurunt, seu ad singularem catholicorum antistitum et fidelium conspirationem, ab antiquis temporibus ad nostra usque tempora Spiritu Sancto afflante in dies servatam ac progredientem, quam conspirationem pree-

bere dicunt universalis ordinarii Ecclesiae Magisterii doctrinam concordemque christiani populi fidem, per semetipsam ac ratione omnino certa, ab omnibusque erroribus immuni, manifestantem aliquod doctrinae caput veritatem esse a Deo revelatam in eoque contentam Divino Deposito quod Christus tradidit Sponsae suae fideliter custodiendum et infallibiliter declarandum; quod profecto Ecclesiae Magisterium praesidio Spiritus veritatis, atque adeo sine ullo prorsus errore, revelatas adservat veritates omne per aevum puras et integras easque in dies penetrat et clarificat, atque pressius uberiorusque proponit.

Cur ergo Concilium Vaticanum II, saltem hucusque, scilicet in praesenti capituli forma, salvo meliori iudicio, ad solos fere inspiratos libros atque antiquos Patres recurrit, fere nullo habito respectu ordinarii et universalis sanctae Dei Ecclesiae Magisterii? Etenim in priori textu nec habebatur explicita ipsius dogmatis de Immaculata Conceptione mentio; in textu autem emendato apparet quidem, at extra proprium locum; de Mediatione vero, deque cooperatione ad Redemptionem et Maternitate spirituali, modo adhuc satis vago sermo fit.

Ego Ordinis Servorum prior generalis et Facultatis Theologicae «Marianum» de Urbe magnus cancellarius, humiliter peto an in re theologia, et signanter mariologica, hisce novis methodologicis principiis et rationibus se gerendi utendum sit, relictis illis quae supra protulimus ex Constitutione dogmatica *Dei Filius* Concilii Vaticani I et ex Constitutione dogmatica Pii Papae XII *Munificentissimus Deus*.

Ut ergo huius Concilii doctrina marialis magis valeat quam Summorum Pontificum documenta, necesse esset quod dum Pontifices exponunt vel declarant, Concilium Vaticanum II definiat, vel saltem parvam veluti Fidei Professionem (ad instar Symboli Apostolici vel Nic.-Constantinopolitani) conficiat circa Virginem Deiparam, explicite determinans huius Professionis valorem, asserens scilicet superiorem esse, quam auctoritatem expositionum aut declarationum hucusque latarum.

2

**Animadversio sul Capitolo VIII
di Mons. Bernardo M. Cazzaro**
(*Acta Synodalia III*, ii, p. 106)

10

Exc.mus P. D. BERNARDUS M. CAZZARO
Episcopus tit. Pyrgensis, vie. ap. Aysenensis

N. 53, pag. 199, lin. 2. Quoad textum qui invenitur in pag. 199, a linn. 1-4, scil.: «Ita iam prophetice adumbratur in promissione, lapsis in peccatum primis parentibus data, de victoria super serpentem (cf. Gen. 3, 15)», haec animadvertenda censeo:

In textu priore habebatur «praevidetur», in textu autem emendato habetur «adumbratur»: haec mutatio prodit regressum, non vero progressum doctrinalem relate ad textum Bullae dogmaticae *Ineffabilis Deus* Pii Papae IX, ubi legimus: «Patres Ecclesiaeque scriptores caelestibus edocti eloquiis ... docuere, divino hoc oraculo (Gen. 3, 15) clare aperteque praemonstratum fuisse ... Redemptorem ... ac designatam b.mam eius Matrem ... ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas».

Si standum est criterio methodologico in hoc eodem numero paucis ante lineis, scil., pag. 198, linn. 36-37, i.e., «si primaeva documenta, ut oportet, sub luce ulterioris et plenae revelationis considerantur, qualiter in Ecclesia leguntu », cur haec mutatio?

Congruenter ergo ad praedictum methodologicum principium, humillime propono ut cum Bulla dogmatica Pii Papae IX, loco vocis «adumbratur» ponatur vox «designatur», secus auferatur vel reformetur praedictum principium.

N. 54, pag. 202, lin. 1. Quoad subtitulum: *De Maria ut ancilla Domini Redemptoris*, litteris inclinatis positum, advertendum est:

Titulus iste sub respectu theologico non videtur accuratus. Ex evangelica enim narratione (*Lc. 1, 38.48*) et eius fonte: (*l Sam. 1, 11*), sancta

Maria se dixit «ancillam Domini», id est non Verbi Incarnandi sed aeterni Patris, voluntatem suam per angelum revelantis.

Haec aequivocatio, quae repercutitur etiam inferius pag. 202, lin. 22, ubi legitur quod Maria «pro Christo Redemptore fuerit humilis ancilla Domini», penitus removenda est.

Potius mentem convertentes ad indefectibilem Evangelii vocem, cum Elisabeth, «Spiritu Sancto repleta», Virginem salutemus «Domini Matrem» (*Lc. 1, 39-45*), cui Jesus certe secundum humanam substantiam ab ipsa Virgine sumptam, «subditus erat» (*Lc. 2, 51*).

Congruenter igitur cum materia de qua agitur novum et magis adaequatum propono subtitulum, i. e.: «De Maria divini Mediatoris Matre et Socia». Sub cuius luce tota huius numeri materia aptius esset disponenda.

3

Animadversiones sul capitolo VIII di Mons. Giocondo M. Grotti

(Acta Synodalia, III, ii, p. 121-134)

21

Rev.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Titulus.

1. Omnia sub mysterio posita sunt. Cur non omnia ponuntur in «mirabili consilio Aeterni Patris»? (cf. titulum cap. I constitutionis *de Ecclesia*). Certo ad unitatem schematis de Ecclesia multum conferret!

2. Verbum «mysterium» non bene respondet voluntati Concilii (cf. cap. I *de Ecclesia*, textus prior, introductio, lin. 14) menti hodiernae sermone accommodato loqui. Et quamvis relator sub fine fasciculi pulchra dicat, bonum esset quod sub voce «mysterium» invenitur in glossariis diversarum linguarum considerare!

3. Verba «in mysterio» non referunt latitudinem thematis; nam plura de Maria referuntur quae certo in mysterio non sunt.

Conclusio: auferantur verba «in mysterio». Materiam expositam in integro capite considerando, sequentem propono titulum novum: *De Beata Maria Virgine Deipara atque Ecclesiae Matre. Rationes:* 1) titulus tractationi respondet; 2) prior forma, a pluribus desiderata, reviviscit.

Prooemium. Lin. 1: «De B. Virgine in mysterio Christi».

Titulus non placet. *Ratio:* a) pauca de hac re in hoc numero dicuntur; b) plura de hac re dicuntur aliis in numeris; c) integrae primae parti istius capituli accommodatur.

Lin. 2: «Benignissimus et Sapientissimus Deus». Bonitas et sapientia reapse lucescunt tum in creationis tum in redēptionis opera, sed Patri tribuitur uti, generatim, universale consilium salutis. Cum sermo sit de Deo qui Filium suum mittit (lin. 4) ponatur «Pater» loco «Deus».

Emendatio proposita: mentio fiat de Aeterni Patris Consilio seu de totius Ecclesiae Sacramento. *Ratio:* memoratis praecipuis operibus Dei, bene loqui possumus: «ubi venit plenitudo» (cf. lin. 3), at non sine hac commemoratione!

Lin. 3: «complere volens». Complentur quae saltem incopta sunt; unde saltem declarare debet textus quae complenda erant in consilio Aeterni Patris, secus haec verba nihil prorsus dicunt.

Lin. 3: «ubi venit». Semel, at pro semper, quod de citationibus scripturisticis in textu schematis inventis cogito, declarare cupio.

Mihi videtur adesse in schemate et generatim in omnibus laboribus a commissionibus nobis propositis praeoccupatio omnia proponendi verbis Scripturae. Ex hoc fit ut: a) textus sit saepe saepius contortus et obscurus; b) textus sit potius opus musivum quam vera, clara et logica expositio doctrinalis.

Insuper Concilium habet ius et officium docendi; sed ex dictis non appareat.

Sed oportet ut habeat Concilium conscientiam sui suaequae missionis!

Et adde: Concilium non satis extollit Magisterium et Traditionem quia perraro citantur, dum usus et abusus Scripturae est frequens. Sed

unus est Spiritus qui loquitur tum in Scriptura, tum in magisterio, tum in tradidone!

Et si Concilium extollit sensum fidelium (cf. cap. II *de Ecclesia*), quid dicendum de quasi oblivione solemnis et universalis Ecclesiae magisterii? ...

Contradiccio patet!

Lin. 4: «factum ex muliere». Auferatur. *Ratio*: in lin. 8 dicitur: «incarnatus ... ex Maria»; ad quid repetitio? ...

Lin. 5: «ut adoptionem ...». Auferatur vel alia modo proponatur quia hic fit sermo de fine in lin. 3 iam declarato. Dixi «vel alio modo proponatur», quia hoc est verum «complementum» (cf. lin. 3) redemptionis, at complementum, ut ita dicam «ad abundantiam».

Textus proponitur emendatus.

Prooemium. De B. M. V. in Aeterni Patris de universali salute consilio.

Benignissimus ac sapientissimus Pater, mundi redempcionem, per divinam adoptionem, completere volens, «ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum» qui (propter nos homines et propter nostram salutem) descendit de caelis et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est».

Notatu digna: a) Tres divinae Personae citantur, et unaquaeque cum munere suo; b) posui inter uncos pericopem «propter ...» quia finis Incarnationis superius declaratum invenimus (cf. lin. 2); meo iudicio, auferenda sunt!

Lin. 9: «Quod ... mysterium». Iterum de mysterio loquitur! At de hoc Incarnationis mysterio, quamvis non omnia, plura cognoscimus, scilicet factum et septem circumstantias (quis, quid, quibus, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, ubi); unde melius esset ad aliud verbum recursere.

Adde quod in sequenti lin. 10 dicitur: «nobis revelatur»; si revelatur non amplius est mysterium!

Lin. 10: «mysterium revelatur». Nobis? ... Quibus? ... Conciliaribus Patribus? ... Incarnatio non est notitia novissimi momenti («ultima no-

titia»), sed praedicta et parata per saecula, pluribus abhinc saeculis effecta, ab Ipso Christo fuit revelata. Unde hoc verbum «revelatur» non habet unde placeat.

Tandem aliquando, nos et Ecclesia (cf. linn. 10-11) est divisio inadaequata quia et nos sumus in Ecclesia et Ecclesia sumus!

Lin. 10: «et continuatur in Ecclesia». Quid continuatur?... Ex analisi propositionis respondere debo: Mysterium (lin. 9); sed insto: hic intelligitur obiectum mysterii, scil. incarnatio Verbi, vel qualificatio ipsius facti? ... Si primum, falsa est propositio quia Christi Incarnatio est factum circumscriptum, et quidem bene, in tempore, et in tempore elapso! Si alterum, cur continuatur in Ecclesia et nobis (Conciliaribus) revelatur? ...

Adde quod in Liturgia quando sermo est de Nativitate Christi vel de Redemptione saepe apparent verba sequentia vel similia: «mysterium cognoscimus». Ergo non continuatur!

Lin. 11: «quam Dominus ut corpus suum constituit». Post «corpus» adiungatur «mysticum». *Ratio*: quando de Corpore Christi loquitur forma absoluta, intelligitur: a) vel corpus Christi reale e Virgine assumptum, b) vel Eucharistia (cf. formula novissima Communionis fidelium).

Lin. 12: Posita notione de corpore, hic fit transitus ad notionem venerationis, illogice evidenter! Bonum esset forsan declarare locum Mariae tum relate ad Christum qui est caput, tum relate ad nos qui membra sumus. Et ex notione loci: notio communionis cum Christo et cum Maria; et ex excellentia loci: excellentia cultus! Usque tandem notare oportet:

1) idea cultus quae (cf. relatio sub fine, ad pag. 210) est centralis, ponitur sub fine et in forma secundaria (propositio principalis est: «quod salutis divinum mysterium nobis revelatur et in Ecclesia continuatur»).

2) «Iesus Christus» quattuor vicies appetit in paucis lineis cum gravi detimento grammaticae et perspicuitatis latini sermonis qui semper sobrietate praefulsit.

3) Actualis adhaesio Christo Capiti et actualis communio cum sanctis non potest esse fundamentum devotionis erga Deiparam Virginem Mariam et nec quidem erga ipsum Christum: theologica ratio est evidens!

Conclusio: haec secunda pars non placet. Tamen, cum ea quae in ista secunda parte dicebantur in prima parte sequentis numeri inveniantur sat clare et pulchre exposita, propono: a) auferatur simpliciter secunda pars prioris numeri (A); b) sub unico numero et titulo ponatur tum A tum B.

Titulus propositus: «De B. Virgine Maria in Aeterni Patris de universali salute consilio». Unitas et pulchritas ad hoc suadent!

Lin. 18: «De B. Virgine et Ecclesia». Titulus, meo iudicio, est insufficiens, nam pro octo lineis in quibus sermo est de Maria et Ecclesia (et sunt novissimae lineae!...) tredecim habemus de Maria relate ad Sanctissimam Trinitatem, vel melius, relate ad Christum. Iterum propono: a) unionem duorum numerorum A et B; b) sub unico titulo iam proposito, de Beata Maria Virgine in Aeterni Patris salutis consilio.

Lin. 19: «quae Angelo nuntiante». Cum habeamus integrum numerum de Assumptione, non video cur hic notio annuntiationis sit inserenda quando sermo esse deberet de Maria et Ecclesia et non de aliqua alia re, uti e titulo prostat!

Lin. 21: «ut vera». Haec est notio potissima hoc in loco ponenda non vero sub fine et per modum accidentalem uti in textu venit! (cf. relatio sub fine fasciculi).

Lin. 22: «a Filio suo sublimiore modo redempta». Certe redempta fuit Maria etiam a Filio suo, non vero a Filio suo quo tali; unde alio modo dicerem, ita v. g. «sublimiori modo redempta» tantum, et omnes sciunt a quo est Redemptio! Sed forsitan melius esset de Redemptione Virginis loqui quando in lin. 29 de redemptione filiorum Adae loquitur!

Lin. 24: «arcto et indissolubili vinculo unita». Ut prostat in textu (cf. lin. 25) vinculum de quo est sermo est divina maternitas; quod maternitas sit vinculum non est qui non videat; quod indissolubile sit non est qui videat, aiente ipsa Scriptura: «relinquet homo patrem suum et matrem ...» (Gen. 2, 24). Unde rectius de maternitate et de missione salvifica, cum et sub Iesu (lin. 41 pag. 199), loqui debemus.

Lin. 26: «sacrarium». Sacrarium tantum? ... nihil mirum cum omnes viventes in gratia Dei sunt sacraria Sancti Spiritus; quare non ponitur

trilogia quae semper apparet in Magisterio Ecclesiae, scil.: 1) Filia Patris; 2) Sponsa Spiritus; 3) Mater Filii? ...

Textus proponitur emendatus. Per divinam enim maternitatem est Ipsa Mater Filii, Filia praedilecta Patris et Spiritus Sancti Sponsa ita ut ceteris creaturis, sive caelestibus sive terrestribus, longe antecellat.

Lin. 29: «simul». Hoc loco ponerem non modo notionem similitudinis («simul») sed etiam notionem dissimilitudinis (cf. lin. 22: «sublimiori modo redempta»). *Ratio:* unitas et pulchritas semper consulenda.

Pag. 198, lin. 2: «cooperata est caritate». Cooperatio Virginis est caritas tantum? ... Si Christus operatus est, qui cooperatus est cum Illo debuit operari eodem modo et sensu; et si nemo cum de redemptione loquitur de caritate cogitat, cur debemus hoc facere quando de cooperatione mariana disseritur?... Quod si Concilium debet doctrinam Ecclesiae proponere, rationes altissimas non intelligo secundum quas: a) sensus et ideae acatholicorum venerantur et b) documenta Pontificum obliviscuntur!

Oecumenismus, si fit, in veritatis confessione fiat, non in occultatione! Quod credimus clare dicamus ne hypocritae videamur a Separatis Fratribus. Separatos caritate prosequamur et de illis cogitemus: a) quod veritate non offendantur; b) quod veritati tantummodo cedant!

Conclusio: cooperatio Virginis aut complete aut generice exprimatur per verba «cooperata est» tantummodo.

Lin. 3: «huius capitisi». Adiectivum pronominale «hic» supponit propinquitatem nominis cui refertur; sed hic non video, grammatico loquendo, quomodo iustificare suam praesentiam. De cetero, de corpore et de membris iam dictum est quod dicendum erat in prima pagina (cf. lin. 11), auferantur proinde citationis novissima verba.

Textus proponitur emendatus. Et quamvis simul cum omnibus hominibus salvandis in stirpe Adam inveniatur coniuncta, tamen, sublimiori modo redempta mirabiliterque ditata, cooperata est «ut fideles in Ecclesia nascerentur».

Lin. 4: «quapropter». Haec particula, miserrime, argumentum non concludit, nam de Virgine loquitur quae cooperata est ut fideles sint membra Christi et dicitur ipsa, propter hoc, esse singulare membrum: nexus non videtur!

Data et non concessa validitate conclusionis, notare debemus: in hac propositione multa bona, at non omnia, apparent. Nam cultus Mariae debetur ratione: a) eminentiae; b) singularitatis; c) exempli in fide et caritate (et spe, libentissime adderem!).

Attamen singularitas et eminentia Virginis non est statice consideranda, sed dynamice, scil. considerare debemus missionem Mariae tum relate ad Christum tum relate ad homines, quia Maria est typus Ecclesiae sed est etiam mater Illius; singularis et eminentis in privilegiis suis sed in opere suo cooperationis non minus mirabilis et eminentis videtur! (cf. lin. 2).

Textus proponitur emendatus. Quapropter ut Mater Dei et hominum, ac supereminens et prorsus singulare membrum Ecclesiae necnon in fide, spe et caritate typus et exemplar spectatissimum salutatur eamque Catholica Ecclesia, a Spiritu edocta, filiali pietatis affectu se prosequi semper professa est.

Lin. 12: «in qua etc.». Propositio est aequivoca et quis dicere posset: «Redemptor salutem non operatur in doctrina Ecclesiae».

Lin. 14: «in mysterio». Recolere nequeo quae in initio scripsi. Melius forsitan dicerem: munera (non munus, quia plura!) erga Christum Reale et Christum Mysticum et ipsa tractatio octavi capituli divisionem et verba iustificat.

Lin. 16: «matrem». Repetitio; ergo, auferatur.

Lin. 20: «servantur in suo iure». Non satis clarus esse videtur conceptus liberae discussionis.

Lin. 22: «in Ecclesia Sancta». Auferatur quia inadaequatus conceptus! Nam magnitudo Mariae est in ipso Altissimi consilio repetenda et non aliunde.

Textus proponitur emendatus. Intentum Concilii. Ideo Sacrosancta Vaticana Synodus, doctrinam de Ecclesia in qua salus hominum illustratur exponens, illustrare quoque intendit tum munia B. Virginis erga Christum Realem et Christum Mysticum, tum officia hominum redemptorum erga matrem suam et Matrem Christi, quin tamen in animo habeat completam de Maria proponere doctrinam neque quaestiones labore theologorum nondum ad plenam lucem perductas dirimere: datur igitur facultas in scholis catholicis libere disceptandi quae disceptationi relin-

quuntur de doctrina Illius quae locum occupat post Christum altissimum nobisque maxime propinquum.

Textus emendatus. *De Beata Maria Virgine Deipara atque Ecclesiae Matre.*

Prooemium (De B. Maria Virgine Deipara in Aeterni Patris de universal salutis consilio). Benignissimus ac sapientissimus Pater, mundi redemtionem, per divinam adoptionem, completere volens, «ubi venit plenitudo temporis misit Filium suum» (Gal. 4, 4) qui «descendit de caelis et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est».

Unde Virgo Maria ut vera mater Dei agnoscitur et merito honoratur. Per eius enim divinam maternitatem est ipsa Virgo Maria mater Filii, filia praedilecta Patris et Spiritus Sancti dulcissima sponsa, ita ut ceteris creaturis sive caelestibus sive terrestribus longe antecellat.

Et quamvis simul cum omnibus hominibus salvandis in stirpe Adam inveniatur coniuncta, tamen, sublimiori modo redempta mirabiliterque ditata, cooperata est ut fideles in Ecclesia nascerentur.

Quapropter ut Mater Dei et hominum ac supereminens et prorsus singulare membrum Ecclesiae necnon in fide, spe et caritate typus et exemplar spectatissimum salutatur eamque Catholica Ecclesia, a Spiritu edocta, filiali pietatis affectu se prosequi semper professa est.

(*Intentum Concilii*). Ideo Sacrosancta Vaticana Synodus, doctrinam de Ecclesia in qua salus hominum illustratur exponens, illustrare quoque intendit tum munia B. Virginis erga Christum Realem et Christum Myticum, tum officia hominum redemptorum erga matrem suam et Matrem Christi, quin tamen in animo habeat completam de Maria proponere doctrinam neque quaestiones labore theologorum nondum ad plenam lucem perductas dirimere; datur igitur facultas in scholis catholicis disceptandi quae disceptationi relinquuntur de doctrina Illius quae locum occupat post Christum altissimum nobisque maxime propinquum (Paulus VI).

N. 53 (olim 49). *De munere B. Virginis in oeconomia salutis (A).*

Titulus non placet. Ratione parallelismi cum altera parte (cf. n. 54 [olim 50]), «de B. Maria Virgine et Christo Redemptore» ponerem.

Lin. 26: «De matre Messiae». Nec semper Scriptura de maternitate loquitur quando de Maria loquitur; unde melius dicendum esset: de B. Maria Virgine in Vetere Testamento.

Lin. 27: «Novique Testamenti et Veneranda Traditio». Certe nec Novum Testamentum nec Veneranda Traditio est spernenda, sed certi fines positi in titulo, hoc modo, certissime praetergreduntur. Iam sufficeret, meo iudicio, quae sub linea 36 dicuntur, scilicet «si primaeva documenta, ut oportet, sub luce ulterioris et plena revelationis necnon – adiicerem! – Venerandae Traditionis considerantur».

Insuper memoranda semper est, etiam in Scripturis, coniunctio Matris et Filii uti in titulo prostat.

Pag. 199, lin. 1: «qualiter in ecclesia leguntur». Auferatur ne separatos Fratres offendamus!

Lin. 2: «adumbratur». Haec vox est debilissima si lucem istius prophetiae consideramus. Melius esset vox «praevideatur» quam in textu priori invenimus, vel «apparet» vel tandem planum verbum «designatur» (*Ineffabilis Deus*).

Lin. 3: «data». Promissio non datur sed fit; dicatur ergo facta et non data.

Lin. 3: «in peccatum». Res notissima est, ergo relinquenda cum beneficio latini eloquii!

Lin. 4: «serpentem». Forsan melius esset declarare, verbo ipsius Evae (serpens decepit me) de quo serpente hic agitur; adiicerem proinde verbum «deceptorem».

Lin. 4: «haec est». Duae tantum prophetiae citantur, sed plures cintandae essent ut ideam habeamus mariologiae V. Testimenti! Et de figuris et symbolis, nihil? ... Non ita factum est quando (cf. cap. I *de Ecclesia*) quando de Ecclesia sermo erat!

Lin. 6: Citantur Matthaeus et Micheas, attamen: a) pro Mt. non est locus quia sermo est de Vetere et non de Novo Testamento; b) e Michea nihil prorsus aufertur!

Lin. 7: «Ipsa praecellit etc.». Nihil de hac re in Vetere Testamento dicitur; auferatur proinde!

Lin. 10: «diuturnam expectationem promissionis». Promissio facta fuit

inde ab initio parentibus lapsis, unde nec diurna nec brevis sed nulla prorsus expectatio promissionis! Auferatur verbum «promissionis».

Lin. 11: «et nova ... oeconomia». Nihil novi! In Altissimi consilio habetur unica idea quae tamen per gradus ad executionem demandatur; loqui non possumus proinde de «nova oeconomia salutis».

Lin. 13: «ut... liberaret». Finis redemptionis iam sufficienter expusus videtur in lineis tum antecedentibus tum subsequentibus, unde si haec propositio auferatur nihil amittitur theologice, stylistice vero multum conferret ad elegantiam et brevitatem latini sermonis.

Textus proponitur emendatus. De Beata Maria Virgine et Christo Redemptore. (De B. Maria Virgine in Vetere Testamento). Sacrae Litterae Veteris Testamenti munera Matris Salvatoris in salutis oeconomia modo magis magisque dilucido describunt et veluti conspiciendum proponunt dum Messiae vitam et mortem preannuntiant et lento gradu praeparant.

Unde inde ab initio historiae salutis, si primaeva documenta, ut oportet, sub luce ulterioris et plenae Revelationis necnon Venerandae Traditionis considerantur, clare in apricum profertur figura mulieris, matris Redemptoris. Ita iam prophetice appareat in promissione primis parentibus facta, de victoria super serpentem deceptorem. Haec est Virga de radice Jesse, virginaliter parens vaticinio Prophetarum Isaiae et Micheae in civitate Betleem; haec est quae nomen Evae in benedictionem mutavit!

Cum ipsa tandem, post diurnam expectationem, complentur tempora, et «perfectus homo, id est in veritate carnis et animae rationalis, natus est per uterum Virginis Unigenitus Filius Dei» (S. Greg. M.).

(*De Maria in Annuntiatione*).

Lin. 19: «autem». Ponatur «tamen» quia meliori modo restrictionem appositam in Altissimi consilio introducit.

Lin. 20: «misericordiarum». Qua de ratione hic memoratur misericordia quando potius apparent sapientia et bonitas? ...

Lin. 21: «ut sic». Per inversionem propositionum hoc «ut sic» quod posset etiam aliter interpretati, auferri potest.

Lin. 22: «quoniam etc.». Sermoni incoepio de annunciatione interponitur pulcherrima quaestio de sanctitate et denique sub lin. 32 denuo de annunciatione loquitur. Rectius de voluntate divina ponendi mulierem

in radice salutis uti habuimus in radice perditionis, postea de sanctitate ipsius, ac tandem de annunciatione loqui debemus!

Lin. 24: «mirum non est apud Sanctos Patres ...». Sed mirum est, post Bullam *Ineffabilis Deus*, ita loqui ac si non esset de veritate definita sermo!

Lin. 37: «Unici Mediatoris». Auferatur! Sermo est de Redemptione, non de mediatione! Adde: verba quae sequuntur sunt pro mediatione Virginis cum et sub Iesu (cf. lin. 41). Unde citatio paulina non est, meo iudicio, hic inserenda; sed si inserenda videtur, clarificetur ne textus aequivocus evadat et doctrina obscura et incerta.

Lin. 41: «omnipotenti Dei gratia etc. ». Textus propositus est ambiguus quia quaedam habentur deprimentia quaedam extollentia Virginem Mariam (opiniones contrariae hic non bene compositae videntur!).

Textus insuper, mihi videtur non esse clarus nec logicus in expositione, nam de consensu loquitur in initio ubi ponitur parallelismus inter novam et antiquam Evam, postea fit transitus ad sanctitatem Virginis et unico verbo de annunciatione dicitur quod dictum est (attamen Annuntiatio est ratio totalis capitisi!), denique de cooperatione, iterum de sanctitate ac tandem de parallelismo cum Eva, et per 10 lineas, loquitur! Ordo sequatur in expositione!

Pag. 200, lin. 9: Parallelismus de quo hic agitur non bene respondet ideae initiali oboedientiae; sed loqui possumus de Maria, nova Eva, ut socia Christi, novi Adam, et Innocentius III habet pulcherrima verba. Insuper, parallelismus ita expositus optime accommodatur sequenti paragrapto ubi sermo est de coniunctione matris et Filii.

Textus proponitur emendatus. (De Beata Maria Virgine in Annunciatione). Voluit tamen benignissimus Pater in sapientia sua mirabili ut quemadmodum femina contulerat ad mortem ita conferret ad vitam.

Quapropter de clara stirpe David sibi praelegit Virginem quam Pater, Filius et Spiritus Sanctus, omnipotenti amore patris, filii et sponsi, mirabili divitia ditarunt; et ecce sine labe concepta, tota pulchra et plena gratiae, Virgo Immaculata, Maria! Mittitur Ei Archangelus Gabriel qui mentem Altissimi pandat; praedestinata Verbi Mater humiliter se ancillam Domini confitetur et ut in seipsa fiant quae a Deo volita fuere consensum praebet: «*Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*» (*Lc.*).

In eius utero, mystico Spiramine, Verbum ipsum carnem suscepit: ibique sumpsimus nostrae salutis exordium!

Facta Mater Iesus, personae et operi Filii sui se totam devovit, inserviens, cum Ipso et sub Ipso redemptionis ministerio.

En novo et oboedienti Adam, indissolubiliter ligata et subiecta, oboediens et nova Eva quae prioris nomen in benedictionem mutavit: illa plena peccato, ista gratia; illa recessit a Deo, sed Dominus tecum, Maria; illa maledicta, sed tu benedicta in mulieribus; maledictus fructus ventris illius, Caim, sed benedictus fructus ventris tui, Jesus! Per illam mors intravit in orbem, per Te vitam rediit ad orbem (Inn. III).

(*De B. Virgine et Iesu infante*).

Lin. 20: «coniunctio». Dicatur «mirabilis coniunctio». Ratio ex usu liturgico desumitur ubi frequens est usus istius vocis in similibus.

Lin. 21: «a tempore virginalis conceptionis». Forsan melius esset dicere: «inde ab initio virginalis conceptionis».

Lin. 31: «cum vero ...». Melius esset, meo iudicio dicere: «ac tandem».

Lin. 23: «exurgens». Circumstantiae notae: ergo derelinquendae!

Lin. 32: Nescio qua de causa constructio latina mutatur tribus in propositionibus istius capitinis; hoc modo nec sequentia logica factuum tam clare appareat uti deberet.

Lin. 36: «Puerum ...». Nescio quomodo componi possit grammaticice et logice cum iis quae dicta fuere in prioribus lineis!

Textus proponitur emendatus. (De B. Virgine Maria et Iesu Infante).

Haec autem Matris cum Filio in opere salutari mirabilis coniunctio, inde ab initio virginalis conceptionis manifestatur cum Maria beata ab Elisabeth praedicatur et Praecursor in sinu matris sanctificatur.

Non vero minori luce patet coniunctio in nativitate quando pastores et Magi Salvatorem quaerentes «invenerunt Mariam et Infantem» (*Lc.*) qui virginalem Matris aulam non minuerat sed sacraverat.

Ac tandem, cum in templo tulissent pii parentes Puerum ut sisterent eum Domino, Simeon, venerabilis senex, lumine Spiritus irradiatus, Salvatorem expectatum cognovit, suscepit et benedixit praeanuntiando simul, propheticō sermone, Filium futurum contradictionis signum et

Matris animam gladium pertransitum ut revelarentur ex multis cordibus cogitationes.

Per breve temporis spatium separata est a Filio quando scilicet «Puer Iesus remansit in Ierusalem» parentibus insciis (*Lc.*), at illico dolens (*Lc.*) inquisivit et post triduum invenit Eum in templo in his quae Patris eius erant. Quaerori Matris rationes altissimas opposuit Iesus quas Virgo Maria non intellexit; tamen, Filio restituta, «cum Ipso descendit ad Nazareth» (*Lc.*) et haec omnia servabat conferens in corde suo (*Lc.*). «Iesus vero erat subditus» (*Lc.*) Illi!

(*De B. Virgine in ministerio publico Iesu*).

Lin. 2: «Durante». Est neologismus, latinis ignotus; dicatur «in».

Adde rationem ablativi quod absolutum vocant et quod in textu non tam absolutum videtur, nam relationem cum sequenti oratione habet.

Lin. 6: «in decursu etc.». Coniunctio istius propositionis mihi videtur abrupta et improvisa; melius esset forsan memorare pias mulieres, inter quas et Virgo Maria, quae Iesum sequebantur.

Lin. 14: «non sine divino consilio». Nihil dicit haec propositio de speciali praordinatione Mariae in ordine ad salutem quia si, «non sine divino consilio» nec capillus capit is cadit, nec ceterae personae adstabant cruci! Debilissima proinde mihi videtur propositio!

Lin. 16: «condoluit... materno animo sociavit». Haec omnia sunt propria uniuscuiusque matris in eadem condicione positae, non vero Illius quae vocata fuit ad unionem cum Filio non tantum ut Filio sed ut Salvatori! RR. Pontifices verba clariora habuere, mihi videtur!

Lin. 18: «cumque». Est indesinens unio quae apparere semper debet; sed hoc in casu separationem potius quam unionem appositam videmus!

Lin. 21: «data». In Calvaria habuit Maria suam maternitatem vel eiusdem maternitatis manifestationem? ...

Textus proponitur emendatus. (De B. V. Maria in ministerio publico Iesu). In vita publica Iesu, Mater eius signanter appetit, in initio quidem cum ad nuptias in Cana Galileae primum signum effusionis messianicae gratiae, intercessione sua, induxit.

Inter mulieres quae Christum pie sequebantur ubicumque ierat, certe aliquando inveniemus Mariam; ad Ipsam enim diriguntur verba Salva-

toris quae Regnum ultra rationes et vincula carnis et sanguinis extollunt et audientes et custodientes verbum Dei, sicut Ipsa fideliter faciebat (*Lc.*) beatos praedicant.

Maxime vero Matris cum Filio indesinens unio tunc enituit quando «cum Filio paciente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit ut dici merito queat et Ipsam cum Christo humanum genus redimisse (BEN. XV, *Inter Sodalicia*).

Ac tandem, quos morte sua potissime Jesus redemerat quorumque dignatus erat esse frater, ipsos, in persona Ioannis, materno animo Virginis, ut filios commendavit.

(*De Beata Virgine post Ascensionem Iesu*).

Lin. 24: «non ante manifestare». Hoc non videtur certum nec theologiche nec historice quia ipsa activitas Christi est manifestatio «sacramenti humanae salutis» et in V. T. fere omnia de salute dicuntur!

Lin. 26: «videmus». Reapere non vidimus Mariam et apostolos orantes; nec rationem video mutationis formae litterariae in hac pericope. Meo iudicio melius esset redire ad formam in aliis numeris hucusque adhibitam (narratio historica cum usu temporis praeteriti).

Lin. 30: «qui...». Iam dictum fuit quando de Annunciatione fuit sermo: sufficit!

Lin. 31: «denique ... Immaculata Virgo». De hoc privilegio non est hic loquendum sed in initio, quia Immaculata est initium et non corona operis B. Virginis!

Lin. 33: «expleto ... cursu». Pauperrima videtur haec propositio et omnibus accommodabilis non vero Mariae in ratione suae missionis singularis!

Textus proponitur emendatus. (De B. Virgine Maria post Ascensionem Iesu). Ut Redemptori ita nascenti Ecclesiae, post Christi Ascensionem, Maria Virgo suam praestavit operam. Illamque inter Apostolos invenit orantem Spiritus Paraclitus in die Pentecostes, ad unitatem et sanctitatem ipsius mirabiliter conferens.

Et ut terrestris eius peregrinationis ortus, ita et occasus fulgentissima luce emicuit: nam corpore et anima «assumpta est» (*Lit.*) ac tamquam

universorum Regina a Domino exaltata ut «Unigenito Filio suo, adversus nequissimum inferorum anguem in certamine coniuncta, cum Ipso pariter gloriosissimum de peccato eiusque tristissimis consecitariis» participaret «triumphum» (PIUS XII, *Fulgens corona*).

Ad n. 54: de B. Virgine et Ecclesia.

Pag. 202, linn. 1 et 21-22: in textu sermo est de Maria ut «ancilla Redemptoris». At considerandum est Evangelium non exhibere Eam ut Ancillam Christi sed aeterni Patris. Ergo Maria est ancilla *Aeterni Patris*, ad cuius humilitatem respexit Deus, eamque ad dignitatem et munus evexit Filii Dei Iesu Christi *Matris et Sociae*. Ideoque titulus ita aptetur: «De Maria ut Domini Matre et Socia». Et similiter aptetur textus.

Pag. 202, lin. 31: «in gratiae oeconomia maternitas». Fortasse introducenda esset vox «spiritualis» ac legendum: «in gratiae oeconomia spiritualis maternitas»; nam quis asserere posset hic ambiguitatem vigere, cum etiam divina (physica) maternitas sit «in gratiae oeconomia maternitas».

Pag. 203, lin. 20: inter «fidei» et «caritatis» adiungenda esset vox «spei»; nam Virgo, praesertim in passionis triduo, eximum quoque spei praebuit exemplum. Qua voce forte introducta, aptanda esset S. Ambrosii commemoratio.

Pag. 203, linn. 35-36: post verba «per verbum Dei fideliter suscep-tum» addi deberet: «et fidei sacramentum rite administratum», nam Ecclesia mater fit *praesertim* filios regenerando, quod et verbo praestat et sacramento. Immo forsitan, quia verbo simul ac sacramento regenerat, magis complete et apte, ita scribi deberet: «per Dei verbum fideliter suscep-tum ac traditum, necnon per fidei sacramentum rite administratum et ipsa fit mater».

Pag. 203, linn. 38-40: verba illa: «... filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat». Melius fortasse esset ad fontis seu baptismalis aquae benedictionem mirificam attendere, quae in Missali Romano, in Vigilia Paschali laetabundo animo canitur. Ibi mira habentur de Ecclesia praecise tamquam matre. Si enim, ut dicit textus, hi filii sunt ex Deo (iam) nati, quomodo possunt generari ab Ecclesia? Non enim agitur aut agi potest de *duplici* nativitate aut ge-

neratione, sed de unica: Dei scilicet simul et Ecclesiae, tamquam Sponsi et Sponsae seu patris et matris; aut, si vultis, tamquam patris *per* matrem. Ista autem unicitas ex parte actionis Dei et Ecclesiae (seu principalitas ex parte Dei et instrumentalitas ex parte Ecclesiae!) non bene exprimitur. Ecclesia dicitur generare eos qui ex Deo nati sunt!

Etenim, iuxta mirum illum Romanae Liturgiae textum (sicut Deus per Spiritum Sanctum, foecundavit et concipere fecit Virginem Sponsam Mariam, et ex ea tamquam matre natus seu generatus est Christus, ita) Pater per Spiritum Sanctum foecundat seu concipere facit Virginem sponsam Ecclesiam (= fontis uterum plenum virginali aqua), et ex ea tamquam ex matre nascuntur seu regenerantur christiani: «Respice, Domine, in faciem Ecclesiae tuae, et multiplica in ea regenerationes tuas ... arcana sui numinis ad mixtione foecundet; ut sanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero, in novam renata creaturam, progenies caelstis emergat».

Sub huius mirifici textus luce, textus ita aptari posset: «... fit mater: arcana enim Sancti Spiritus operatione foecundata, praedicatione ac baptismate filios concipit, eosque ad novam et immortalem vitam regenerat».

Ita, vel adhuc meliori modo, textus ergo aptari posset.

Pag. 203, lin. 40 - pag. 204, lin. 2: bene perpendendum est, an de virginitate agendum sit antequam de maternitate; et, post maternitatis mentionem, de perpetua virginitate breviter disseri debeat. At, transeat!

Pag. 204, linn. 16-19: fortasse, ad claritatem fovendam, praestaret ut verba «cum praedicatur» ponantur statim post verba «Maria enim» ut legatur: «Maria enim dum praedicatur, quae etc.». At transeat!

Pag. 203, lin. 14 - pag. 204, lin. 25: decretum videtur abhorrere a mentione dolorum B. Mariae Virginis. Econtra Redemptionis Adiutrix, tamquam Martyrum Regina maxime enituit; ideoque ut splendidum et confortans fortitudinis exemplar seu typus exhiberi deberet coram omnibus cunctorum temporum Ecclesia, et maxime ad solacium et incitamentum illius nobilissimae Ecclesiae portionis, quae vel est sanguine purpurata vel lacrymis madida, quaeque «Ecclesia martyr» seu «Ecclesia silentii» appellari consuevit.

Ad n. 55: de Cultu B. Virginis in Ecclesia.

Pag. 204, linn. 26-31: titulus est: «De natura et fundamento cultus». At, de facto, prius de fundamento, dein de cultus natura sermo est. Verborum ergo ordo invertendus videtur.

Item: cultus fundamenta incomplete, ut videtur, recensentur. Cultus enim erga Mariam radix seu fundamentum, triplex est: donum, munus, sanctitas. Donum, scilicet divina maternitas, asseritur; munus, scilicet consociatio ad Christum tamquam nova Eva, ideoque et spiritualis erga Ecclesiam universamque humanam subolem maternitas, adumbratur; singularis sanitatis mentio, ad quam, Deo volente et adiuvante, se erexit Maria, penitus subdicitur: quod certe prorsus incongruum est. Scribi ergo posset hoc vel alia meliori modo: «... utpote Filii Dei Iesu Christi Genetrix atque Socia, necnon totius Ecclesiae immo et universae humanae stirpis mater spiritualis, singulari sanctitate praestans, speciali cultu a Dei Populo merito honoratur».

Pag. 205, linn. 6-7: fortasse, potius quam «... Verbo Incarnato aequa ac Patri ...», melius diceretur: «... aeterno Patri aequa ac Verbo Incarnato ...».

Pag. 205, lin. 38: addendum videtur: «Sacrarum Liturgiarum», ideoque scribendum: «... Divinae Scripturae, Sacrarum Liturgiarum, Sanctorum Patrum ...».

Pag. 206, lin. 5: post «sedulo» fortasse addendum esset «item» vel «insuper» vel «autem», aut quid simile, ne locus noviter introductus sine connexione cum contextu videatur.

Ad n. 56: Maria, signum certae spei et solatii peregrinanti populo Dei.

Pag. 207, lin. 8, 26: neque hic neque antea (pag. 204, linn. 5-25), unquam de Mariæ puritate aut castitate sermo est: Quae mentio, nostra quoque (aut praesertim) aetate non incongrua foret, sive hoc sive praedicto inseratur loco.

I «MODI» PROPOSTI DAI PADRI SERVI DI MARIA

1. Era stato annunciato ai Padri del Concilio che la votazione sull'intero capitolo VIII del *De Ecclesia* avrebbe avuto luogo il 29 ottobre 1964 (lo stesso giorno in cui, nell'anno precedente 1963, era stata votata l'inclusione del testo mariano nella Costituzione sulla Chiesa), con tre modalità: *Placet*, *Non placet*, *Placet iuxta modum*. Il Relatore al Concilio sul capitolo VIII, mons. Maurizio Roy, nel presentare il testo emendato alla votazione dei Padri, si era augurato che l'assise conciliare espri messe un consenso plenario, senza ulteriori modifiche:

«Quapropter optamus ut Venerabiles Patres de toto Capite, quod de Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae, unum suffragium complexivum exprimere velint. Quod suffragium speramus fore quasi unanime e non nimia mole Modorum oneratum» (*Acta Synodalia*, III, vi, p. 37).

Ma non fu così. Su 2091 votanti, 1559 votarono *Placet*, 10 votarono *Non placet*, 521 votarono *Placet iuxta modum*: il che comportava un lavoro suppletivo di ultimi ritocchi e modifiche al testo. Non si trattava però di 521 «modi» distinti, perché molti Padri avevano sottoscritto non uno, ma più «modi».

2. Fu istituita una Commissione tecnica per esaminarli e darne adeguata risposta. Erano membri: Mons. Charue, il card. Roy, i Segretari p. Tromp e Mons. Philis, e il p. Balić. Dalla Commissione esaminatrice sono stati catalogati 95 “modi” distinti: sono forse di più, perché talvolta la Commissione ha congiunto alcuni «modi», per affinità di argomento o di emendamento.

La *expensio modorum* fu stampata in un fascicolo di 24 pagine, contenente la valutazione dei *modi*, e la conseguente indicazione delle modifiche da apportare al testo definitivo del capitolo VIII, già approvato nel suo insieme. È pubblicata in *Acta Synodalia*, III, viii, p. 151-171.

3. Di alcuni «modi» erano stati promotori i Servi di Maria. Infatti, il giorno prima della votazione, cioè il 28 ottobre 1964, essi avevano diffuso fra i votanti una serie di «modi» da apportare al testo. Percorrendo i nostri manoscritti e confrontandoli con la valutazione dei «modi» trasmessa in fascicolo ai Padri il 14 novembre 1964, prima dell'ultima votazione sull'intera Costituzione *Lumen gentium*, ho potuto individuare quali siano questi «modi», da quanti Padri furono sottoscritti, quali accolti e quali rifiutati dalla Commissione incaricata di esaminarli.
4. La sera del 27 ottobre infatti i professori del «Marianum» prepararono 15 «modi»: essi furono stampati a multilith su foglietti di carta tipo quadrotta, tagliata a metà (del formato cioè di cm. 14x22), raccolti insieme a blocchetti e diffusi capillarmente tra i Padri conciliari.

Il blocco dei «modi» preparato dai Servi di Maria si trova raccolto nella cartella miscellanea siglata P.315.6, presso la biblioteca della Pontificia Facoltà Teologica «Marianum».

5. Dopo la votazione del 29 ottobre, ognuno dei Padri che aveva votato *Placet iuxta modum* era tenuto a consegnare alla Segreteria del Concilio in quello stesso giorno, al più tardi l'indomani, il «modo» o i «modi» che aveva sottoscritto.

Dei 15 «modi» servitani, sottoscritti da oltre un centinaio di Padri, cinque furono accolti, integralmente o in parte, gli altri non furono ammessi, con motivazione.

